



CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

19 martii 1967

Schemata, n. 218
De Missali, 34 *bis*

Coetus X : De Ordine Missae

HOC FASCICULO CONTINENTUR

1. De statu laboris coetus X.....p. I
2. Schema Ordinis Missae normativae a Patribus "Consilii"
approbatum, cum notis declaratoriis, et conspectu suf-
fragationum quae factae sunt de Schemate Ordinis Mis-
sae normativae.....p. 1
3. Introductio generalis in novas "Anaphoras" seu "Pre-
ces eucharisticas", quae de mandato Summi Pontificis
apparandae sunt.....p. 43
4. Prex Eucharistica II brevior.- Relatio peculiaris et
textusp. 48
5. Prex Eucharistica III. - Relatio peculiaris et textus p. 53
6. Anaphora S.Basilii alexandrina. - Relatio peculiaris
et textus..... p. 61



CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

Coetus de Ordine Missae: X

DE STATU LABORIS COETUS X :

1. Secundo anno post SCHEMA PRIMUM ORDINIS MISSAE NORMATIVAE a Vobis approbatum, coetui nostro X a studiis "De Ordine Missae", demum licet iterum benevolenti vestrae consideratione fructus quosdam sui laboris proponere.
2. Huius non parvae morae sequens erat ratio: "Schema primo Ordinis Missae normativae" in sessione plenaria "Consilii" mensis Octobris anni 1965 a parte eiusdem "Consilii" pro experimentis habendis approbato, prima phasis laboris Coetus X finem suum tetigisse neminem latet.

Tunc schema illud iuxta suffragationes habitas quibusdam in particularibus emendandum, introductione generali necnon et declarationibus opportunis ornandum atque Summae Auctoritati Romani Pontificis humiliter subiiciendum erat. Quae omnia in prima parte anni 1966 facta sunt. Deinde responsio Summi Pontificis exspectanda erat.

3. Quoad problemata Canonis romani et diversas propositiones ea solvendi Summus Pontifex in audientia Cardinali Praesidi "Consilii", die 20 mensis junii 1966 concessa, mandavit :
 - a.) ut immutatus remaneret Canon romanus actualis,
 - b.) tamen componerentur vel quaererentur duo vel tres aliquae anaphorae novae.

Proinde ex schemate 113, Formae variantes B et C Canonis romani, die 20 mensis octobris 1965 a "Consilio" suffragatae non amplius sunt ad rem.

4. Quoad Ordinem Missae in genere Summus Pontifex in allocutione ad "Consilium" habita die 13 mensis octobris 1966, dixit:

"Alia quaestio, inter omnes digna in quam potissimum mentes intendantur, pertinent ad Ordinem Missae. Iam compertum habemus opus patratum, non ignorantes, quot disceptationes erudite ac meditate habitae eo referantur, sive circa textum

praedicti Ordinis Missae sive circa compositionem novi libri Missalis et calendarium sacrorum sollemnium. Agitur autem de re tam gravi et momenti tam universalis, ut facere non possimus quin antea Episcopos consulamus quam ea, quae considerate sunt proposita, auctoritate Nostra approbemus."

Postea Beatissimus Pater mentem suam pressius aperuit mandans, ut altiora principia Ordinis Missae instaurandae Synodo Episcoporum praesentarentur.

5. Ex hisce responsionibus coetui nostro duplex munus praecipuum exortum est:

a.) Novas aliquas "anaphoras", vel lingua latina melius dicendo "Preces eucharisticæ" apparere et iudicio Patrum "Congilii" submittere.

b.) Principia altiora Ordinis Missae instaurandae, quae schema "Missae normativae" a Consilio approbatum regunt, peculiari schemate, brevissimo quidem, conscribere et hoc quoque Patribus "Consilii" proponere, ut ab eis disputaretur et approbaretur.

6. Praeterea negligendum non erat tempore interim delapso fere ubique terrarum e primis gressibus instaurationis liturgicae, qui per documenta hanc instaurationem spectantia, praescripti erant, experientias validas, praecipue ex introductione linguae vernaculae affluisse, quae viam procul prosequendam clarius indicabant, atquae problemata quaedam peculiariora nova in luce monstrabant. Insuper palam fecerant episcopi, presbyteri laicique multi non solummodo paratos se esse ad profundiores instaurationes ex corde nunc recipiendam, sed illam ut, mox fieret, cum pondere et gravitate expetierunt, ne abusibus hic inde velociter se diffundentibus "sero medicina" pararetur. Multa ac varia vota ad instaurationem Missae perficiendam, coetus noster et a Secretaria "Consilii" et directe accepit.

7. Rebus sic stantibus coetus noster officium suum esse censuit, omnia haec fideliter expendere, et post tot tempus elapsum, Schema ipsum ante duos annos stabilitum, denuo examinare, an experientiis interim collectis adhuc satisfacere posset. Haec examinatio exitum affirmativum habuit. Nullam causam invenimus structuram vel principia fundamentalia "Missae normativae" a vobis ad experimentum approbatae in dubium vocandi. Speramus fore, ut, si Missa normativa revera experimento tradetur, praxis opus propositum confirmet.

8. Quibusdam in peculiaribus schema perfici potest et ~~forsitan~~ debet, praesertim cum interim definitive a "Consilio" statutum sit, ut tres lectiones biblicae, in schemate ut facultativae provisae, in omnibus dominicis et festivis diebus obligatorie legantur.

Quia vero pro tempore problemata urgentiora, uti patet, nos premebant, disputationes respectivas ad finem perducere non potuimus. Forsitan de his particularibus securius faciliusque iudicare potest quando Missa normativa per sufficiens tempus experimentis idoneis subiecta erit.

9. Coetus noster vobis promisit applicationem normarum, quae Missam normativam regunt, ad diversas formas Missam celebrandi, immo "Institutionem generalem de sacra Eucharistia celebranda", quae aliquomodo actuali "Ritui servando" corresponderet.

Patet coetum nostrum promissionem hanc solummodo implere posse, quando altiora principia de Missa normative a Synodo Episcoporum approbata erunt. Tamen vobis iam nunc prima delineamenta schematis "Missae privatae ex normis Missae normativae" extracta proponere possumus, ut facilius appareat, quomodo quaedam in Missa normativa dempta in Missa privata serveri possint.

10. Coetus X pro gravitate operis commendati opportune auctus, nunc ex sequentibus sodalibus componitur :

Consultores : Rev.mus D. J. Wagner, Relator
" P.A. Franquesa, O.S.B. , Pro-Secretarius
" Mons. M. Righetti
" Mons. Th. Schnitzler
" D.A. Hänggi
" D.P.M. Jounel
" P.P.M. Gy, O.P.
" P.J.A. Jungmann , S.J.
" D.L. Agustoni
" P.J. Gelineau, S.J.
" P.C. Vaggigini, O.S.B.
" P.L. Bouyer, C.O.

Consiliarii : Rev.mus Mons. Famoso
" Pr. K. Amon
" D.J. Cellier
" Dr. D.F. McManus
" D. V. Noe
" Prof. H. Wegman
" P.J. Patino, S.J.

- Nemi 15, III, 1967

.....
J. Wagner, Relator

.....
A. Franquesa, Pro-Secretarius



CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

24 maii 1966

Schemata, n. 170
De Missali, 23

COETUS X : "De Ordine Missae"

SCHEMA PRIMUM ORDINIS MISSAE NORMATIVAE

1. Populo congregato (1), sacerdos (2) et ministri (3), deferentes, pro opportunitate, librum lectionum, luminaria, crucem, et thuribulum, ad altare accedunt, dum cantus ad introitum (4) peragitur.

- 1) Describitur Missa, "quae concurrente populo celebratur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto" (Const. art. 49). Quapropter Ordo initium sumit a "populo congregato" et terminatur populi dimissione.
- 2) Semper adhibetur terminus "sacerdos", loco "celebrantis" e Missa "privata" provenientis. Expedire nempe videtur, ut sacerdos, qui populo congregato praest, proprio suo nomine vocetur et ita munus eius sacerdotale sensu stricto patefiat.
- 3) Notione "ministri" intelliguntur omnes, qui speciale servitium praestant, scil. ministri sacri (diaconus), acolythi, ministrantes et caeteri, si casus fert.
- 4) Patribus "Consilii" placuit, ut praeter antiphonam ad introitum cum psalmo in missali exstantem "alios cantus congruos (convenientes nempe indoli actionis sacrae, diei vel temporis), imprimis psalmos convenientes, admittere" liceret (cf. schema 39, n.30). Quia varia horum cantuum genera varios modos eos peragendi pro coetus conditione postulant, hic de his nihil dicitur. Res remittitur ad "Istitutionis generalis" caput peculiare de cantibus Missae. Quae etiam valent pro cantu ad offertorium et ad communionem (cf. nn. 20 et 86 schematis).

2. Cum ad altare pervenerint, facta debita reverentia(5), signant se signo crucis (6).

Sacerdos deinde salutat altare osculo (7), vel alio signo, pro regione statuto, et pro opportunitate illud populumque incensat (8). Postea cum ministris sedem petit.

-
- 5) "Debita reverentia": utrum sit genuflexio, an profunda inclinatio, vel forsitan alius ritus ab auctoritate territoriali statuendus, cum a loco tabernaculi, tum a moribus populorum dependet. De his sermo erit in "Institutione generali".
- 6) "Signant se signo crucis": Retinendus videtur hic venerabilis usus Missae, sed et Horas canonicas et sacra exercitia, incipiendi.
- 7) "Salutat altare": Quod secundum traditionem antiquissimam romanam fit osculo; secus alio signo, prout ab auctoritate territoriali iuxta mores populorum statuitur.
- 8) "Pro opportunitate illud (altare) populumque incensat" : Non expedire videtur, incensationem altaris funditus tollere, sed pro opportunitate, servare, et quidem non ratione traditionis tantum, sed etiam quia tali incensatione salutatio altaris sollemnior fit. Propterea in initio Missae habetur. Cum vero oporteat "ea omittantur, quae temporum decursu duplicata fuerunt" (Const. art. 50), in offertorio dona tantum incensantur, quae in altari collocata sunt, sed non denuo altare ipsum (cf. 28 schematis). Item incensatio populi magis initio totius celebrationis congruere videtur quam offertorio.

Quod sacerdos ipse populum incensat, est quidem usus Orientalium, sed nequaquam spernendus, quia speciali dignitate pollet: honor populo Dei congregato a sacerdote tribuitur, unio huius populi cum altari, et communis totius congregationis oratio significantur; caeterum suppressionem incensationis singularum personarum faciliorem reddit (cf. Instr. n. 36).

3. Omnibus stantibus, sacerdos, ad populum versus, et manus extendens, eum salutatur (9), cantans vel clara voce dicens:

DOMINUS VOBISCUM.

Populus respondet:

ET CUM SPIRITU TUO.

vel sacerdos:

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESU CHRISTO.

Populus respondet:

BENEDICTUS DEUS, ET PATER DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

vel sacerdos:

GRATIA DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, ET CARITAS DEI, ET COMMUNICATIO SANCTI SPIRITUS SIT CUM OMNIBUS VOBIS.

Populus respondet:

BENEDICTUS DEUS IN SAECULA.

-
- 9) "Sacerdos... eum (populum)salutat": Altari salutato, sacerdos, ad sedem stans, populum salutatur, manifestans congregationis ("assemblea"), cui praest, initium nunc fieri, sicut nos est in hominum congregationibus aperiendis. Etiam Dominus noster, intrans in coenaculum, salutavit primo discipulos congregatos (cf. Lc 24,36). Salutatio populi in initio Missae ante lectiones faciendae (cf. August., De Civ. Dei 22,8) antiquior est quam oratio; proinde ex indole sua non est elementum introductorium orationis, sed per se stans, quidquid sit de traditione posteriori.

Restitutio salutationis in locum nativum, i.e. in initium congregationis, multo iuvat, ut structura partis introductoriae Missae magis perspicua fiat, ita ut tota illa pars, a salutatione populi usque ad AMEN post orationem, appareat veluti unum continuum quid, clare dispositum, facileque peragendum.

Pro experimento proponuntur tres formulae salutationis et responsionis populi:

I. Formula ordinaria: DOMINUS VOBISCUM (PAX VOBIS). Resp.: ET CUM SPIRITU TUO.

II. Formula sollempnior, cuius textus in initio multarum epistolarum S. Pauli invenitur, (nempe: Rom 1,7 - 1 Cor 1,2 - Gal 1,3 - Eph 1,2 - Col 1,3 - 2 Thes 1,2; simili modo 1 Tim 1,2 et Phil 1,3): GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO IESU CHRISTO. Resp.: BENEDICTUS DEUS ET PATER DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI; quae responsio tanquam prioris textus continuatio et

4. Deinde sequitur actio poenitentialis (10).

complementum habetur 2 Cor 1,3 et Eph 1,3.—Haec formula sine textu GRATIA VOBIS.... invenitur in 1 Petr 1,3. Textus est salutatio initialis harum epistolarum et gaudebat forsitan iam tunc indole quasi-liturgica. Optime exprimit duplicem rationem totius liturgiae, gratiae nempe Dei, quae descendit desuper, et laudis vel precationis Ecclesiae, quae ascendit ad Deum.

III. Alia formula sollemnior: GRATIA DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, ET CARITAS DEI, ET COMMUNICATIO SANCTI SPIRITUS SIT CUM OMNIBUS VOBIS. Haec formula habetur in 2 Cor 13,13, ergo in fine epistolae, et responsio originalis est AMEN, quod tamen acclamationi post orationem reservandum videtur. Proinde, si haec tertia formula trinitaria admittitur, alia responsio, oligatur oportet, vel ET CUM SPIRITU TUO, sicut ad DOMINUS VOBISCUM, vel quae in schenate proponitur: BENEDICTUS DEUS IN SAECULA, vel similis.

Responsio populi non immediate ad personam salutantem directa, sed cum formula, qua Deus laudatur, facienda, non est res incon-sueta, cum inveniatur apud multos populos (cf. illud LAUDETUR IESUS CHRISTUS - R/ IN AETERNUM).

- 10) Constat, preces s.d. ad pedem altaris, ex Missa privata provenientes (et forsitan in ea servandas) in Missa in cantu submissa voce hucusque dicendas, pro Missa "normativa" sine structurae incommode servari non posse. Proinde Patres "Consilii" statuerunt actionem poenitentialem hic esse inserendam tanquam elementum stabile Missae. Haec actio pro temporis liturgici, coetus vel populi, aut sollemnitatis diversitate variis modis peragi potest:

Vel per formam "Confiteor" forte opportune recognoscendam. Vel per admonitionem populi a sacerdote faciendam, e.g.:

"Carissimi fratres et sorores in unum convenientes, illum, qui dixit: "Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum" (Mt. 18,20), ex tota mente, et ex toto corde invocemus ut nobis adsit. Confiteamur Domino, quoniam bonus est; nos autem homines peccatores sumus. Et humiliter deprecemur, ut dignos nos faciat haec sancta mysteria celebrare".

Vel per brevem admonitionem, quam sequuntur aliqui versiculi, e.gr.:

Sacerdos:

Fratelli, confessiamo umilmente a Dio i nostri peccati; imploriamo fiducia la sua misericordia e il suo perdono:

Et proseguitur:

Signore, non guardare ai nostri peccati.

Omnes:

E cancella le nostre colpe.

Exempla supra allata demonstrant elementum confessionis peccatorum, poenitentiae et contritionis necnon veniae petendae Missae inseri posse, quin eiusdem initium nimis gravetur, imo structura Missae detrimentum capiat.

5. Sequuntur invocationes:

KYRIE ELEISON. KYRIE ELEISON. KYRIE ELEISON.

CHRISTE ELEISON. CHRISTE ELEISON. CHRISTE ELEISON.

KYRIE ELEISON. KYRIE ELEISON. KYRIE ELEISON. (11)

Quae omitti (12) possunt, si habetur hymnus GLORIA.

11) Invocationes KYRIE in Missam romanam introductae esse censentur ut deprecationes populi in Oratione fidelium, quae aliquando de loco traditionali post lectiones ad initium Missae translata est. Qua obsoleta, invocationes KYRIE "isolatae", elementum per se stans Missae factae sunt. Oratione fidelium nunc in loco suo originali instaurata, multi aestimant, invocationes KYRIE in initio Missae tanquam inutilem duplicationem omnino esse delendas. Attamen coetui nostro, paucis sodalibus exceptis, visum est KYRIE esse retinendum hisce ex rationibus:

1. KYRIE est pars sic dicti Ordinarii Missae, quod omnibus fidelibus et cantandum et recitandum a Concilio imponitur (Const. art. 54). Nonnisi ex rationibus gravissimis, quae - salvo meliori iudicio - in casu non adsunt, partem huius Ordinarii abolere licet.

2. Decursu temporis cantus KYRIE tum arte musicae Gregoriana cum figuratae, ornatus est; atqui thesaurus musicae sacrae servandus est (Const. art. 114).

3. Cum genus originale huius cantus evolutione historica mutatum sit ita, ut nunc sint invocationes, veram duplicationem Orationis fidelium non constituunt. Curandum tamen est, ut etiam species duplicationis vitetur.

12) Consecutio duorum cantuum immediate sequentium, KYRIE nempe et GLORIA, a multis aegre fertur, testificantibus non paucis litteris et votis undique missis. Quamvis pondus duplicis cantus per "admonitionem" illam propositam aliquomodo allevietur, aliud argumentum non spernendum videtur: Pars initialis Missae nimis protrahitur, citius ad liturgiam Verbi perveniendum est. Quapropter in schemate libertas quaedam provisa est.

6. Diebus dominicis extra tempus Quadragesimae necnon diebus festivis I et II classis sacerdos inchoat hymnum, cantans vel clara voce dicens:

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Populus prosequitur:

ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS.

LAUDAMUS TE.

BENEDICIMUS TE.

ADORAMUS TE.

GLORIFICAMUS TE.

GRATIAS AGIMUS TIBI PROPTER MAGNAM GLORIAM TUAM.

DOMINE DEUS, REX CAELESTIS.

DEUS PATER OMNIPOTENS.

DOMINE FILI UNIGENITE, IESU CHRISTE.

DOMINE DEUS, AGNUS DEI, FILIUS PATRIS.

QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, MISERERE NOBIS.

QUI TOLLIS PECCATA MUNDI, SUSCIPE DEPRECATIONEM NOSTRAM.

QUI SEDES AD DEXTERAM PATRIS, MISERERE NOBIS.

QUONIAM TU SOLUS SANCTUS, TU SOLUS DOMINUS, TU SOLUS ALTISSIMUS, IESU CHRISTE, CUM SANCTO SPIRITU: IN GLORIA DEI PATRIS. AMEN.

7. Deinde (13) sacerdos, versus ad populum, cantat vel clara voce dicit:

OREMUS.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Deinde sacerdos, manibus extensis, cantat vel clara voce dicit orationem, quam populus concludit, acclamans: AMEN.

-
- 13) Omittitur DOMINUS VOBISCUM, quia salutatio iam facta est et tota pars introductoria Missae a salutatione usque ad AMEN post orationem unum quid constituit.

8. Deinde lector ad ambonem pergit, et profert primam lectionem, quam omnes sedentes auscultant.
9. Psalmista vero, seu cantor, populo pro opportunitate responsum proferente, psalmum (14) cantat vel clara voce dicit.
10. Postea si habenda sit secunda lectio (15), quae non est de Evangelio, lector eam in ambone profert, ut supra.
11. Sequitur ALLELUIA vel alter cantus (16), prout tempus aut qualitas Missae postulat.
12. Interim diaconus (17), si est Evangelium prolaturus, ante sacerdotem inclinatus, benedictionem petit(18), dicens:
IUBE, DOMNE, BENEDICERE.
Sacerdos benedicit:
DOMINUS SIT IN CORDE TUO ET IN LABIIS TUIS:
UT DIGNE ET COMPETENTER ANNUNTIES EVANGELIUM SUUM:
IN NOMINE PATRIS, ET FILII, + ET SPIRITUS SANCTI.
Diaconus respondet: AMEN.
13. Si vero non adest diaconus, sacerdos profunde inclinatus versus altare, dicit:
MUNDA COR MEUM AC LABIA MEA, OMNIPOTENS DEUS,
UT SANCTUM EVANGELIUM TUUM DIGNE VALEAM NUNTIARE.

-
- 14) Loco "Gradualis" vel etiam "psalmi responsorialis" melius dicendum est "psalmus responsorius" vel simpliciter "psalmus", sicut in schenate, quamvis solummodo aliquot psalmi versus proferuntur, et quidem de more nona schola, sed ab uno cantore, qui secundum antiquam traditionem "psalmista" vocatur.
 - 15) "Si habenda sit secunda lectio": Provisum iuxta statutum Patrum "Consilii" die 30 septembris 1964 (cf. schema 39 nn.43 s.): "In diebus dominicis et festis Domini I et II classis necnon festis de praecepto Missa tribus lectionibus ditetur, quarum aut primam (Propheta) aut secundam (Apostolus) omittere licet, si conditiones fidelium id postulant".
 - 16) "Alter cantus" est aut tractus, aut alius psalmus cum responso, vel etiam Sequentia. De diversis modis alterum cantum proferendi agatur et in "Graduali simplici" et in "Institutionis generalis"capite peculiari.
 - 17) Quia lectio Evangelii per se non est munus sacerdotale, sed ministeriale, et quidem inde ab antiquitate diaconale, duplex ritus describitur.
 - 18) Formulae praeparatoriae non omittendae videntur, sed simplificandae eo modo, ne bis idem dicatur: Diaconus petit tantum benedictionem a sacerdote et ab eo benedicitur; sacerdos orat, ut a Deo dignus reddatur, qui Evangelium eius annuntiet.

14. Postea diaconus - vel sacerdos - ad ambonem pergit (19), ministris cum pro opportunitate cum incenso et luminaribus comitantibus, et iunctis manibus cantat vel clara voce dicit:

DOMINUS VOBISCUM.

Populus respondet:

ET CUM SPIRITU TUO.

Et diaconus - vel sacerdos - pronuntians:

INITIUM sive SEQUENTIA S. EVANGELII SECUNDUM N.

signat librum et seipsum in fronte, ore et pectore.

Populus respondet:

GLORIA TIBI, DOMINE.

Deinde diaconus - vel sacerdos - librum pro opportunitate incensat, et Evangelium prosequitur.

15. Finito Evangelio, diaconus librum sacerdoti osculandum, vel alio modo honorandum, prout pro regione statutum est, defert. Si vero sacerdos Evangelium protulit, librum in ambone osculatur, vel alio signo honorat, prout statutum est.
16. Licet post Evangelium acclamationem preferre.
17. Homilia habetur omnibus diebus dominicis et festis de praecepto; aliis diebus valde commendatur.
18. Item omnibus diebus dominicis et festis de praecepto profertur symbolum, quod sacerdos inchoat, cantans vel clara voce dicens:
CREDO IN UNUM DEUM:
Populus prosequitur:

19) Schema tacet de processione cum libro Evangeliorum. Si adest copia ministrorum, omnino congruere videtur, ut liber lectionum in processione ad introitum deferatur (cf. n. 1 schenatis). Nisi vero adhibeantur duo libri distincti, Evangelii nempe et aliarum lectionum, preferendum forsitan est, ut unicus liber Sacrae Scripturae post lectiones non evangelicas in ambone relinquatur, non obstante, pro opportunitate, processione ad Evangelium cum luminaribus et thuribulo facienda. Magis quam codex ipsum verbum Dei proclamandum honorari debet. De hisce omnibus fusius sermo erit in "Institutione generali".

PATREM OMNIPOTENTEM, FACTOREM CAELI ET TERRAE
VISIBILIIUM OMNIUM ET INVISIBILIIUM.
ET IN UNUM DOMINUM IESUM CHRISTUM, FILIUM DEI UNIGENITUM,
ET EX PATRE NATUM ANTE OMNIA SAECULA.
DEUM DE DEO, LUMEN DE LUMINE, DEUM VERUM DE DEO VERO,
GENITUM, NON FACTUM, CONSUBSTANTIALEM PATRI:
PER QUEM OMNIA FACTA SUNT.
QUI PROPTER NOS HOMINES ET PROPTER NOSTRAM SALUTEM,
DESCENDIT DE CAELIS.
ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO
EX MARIA VIRGINE, ET HOMO FACTUS EST.
CRUCIFIXUS ETIAM PRO NOBIS SUB PONTIO PILATO,
PASSUS, ET SEPULTUS EST,
ET RESURREXIT TERTIA DIE, SECUNDUM SCRIPTURAS,
ET ASCENDIT IN CAELUM, SEDET AD DEXTERAM PATRIS.
ET ITERUM VENTURUS EST CUM GLORIA, IUDICARE VIVOS ET MORTUOS,
CUIUS REGNI NON ERIT FINIS.
ET IN SPIRITUM SANCTUM, DOMINUM ET VIVIFICANTEM:
QUI EX PATRE FILIOQUE PROCEdit.
QUI CUM PATRE ET FILIO SIMUL ADORATUR ET CONGLORIFICATUR:
QUI LOCUTUS EST PER PROPHETAS.
ET UNAM, SANCTAM, CATHOLICAM, ET APOSTOLICAM ECCLESIAM.
CONFITEOR UNUM BAPTISMA IN REMISSIONEM PECCATORUM.
ET EXPECTO RESURRECTIONEM MORTUORUM,
ET VITAM VENTURI SAECULI. AMEN.

19. Et fit Oratio communis seu fidelium(20),quam sacerdos moderatur.

- 20) Visum,est, locum Orationis fidelium post symbolum, si habetur, et immediate ante offertorium tamquam conclusionem totius liturgiae verbi et transitum ad liturgiam eucharisticam pro Missa normativa retinere, sicuti in Instr. n.56 provisum. Tamen non est mens, ut impediatur, quominus iuxta vota nonnullorum, immediate post homiliam habeatur. Hac de re in "Institutione generali" sermo erit. Ex rationibus allatis Oratio fidelium nunc de more est habenda, utpote elementum structurale Missae, quo deficiente Missae dispositio aliquomodo minus clara et incomposita apparet.

20. Quibus absolutis, incipitur cantus ad offertorium (21), qui protrahitur usque dum dona ad altare allata sunt.
21. Sacerdos sedens lavat manus (22), ministro aquam fundente.
22. Deinde ministri (23) missale, corporale et calicem velo coopertum in altari collocant, et sacerdos ad altare accedit.
23. Tunc patena - et si opus est, etiam aliae patenae vel pyxides - cum pane, atque vinum et aqua ad altare deferuntur. Quod pro opportunitate fit a fidelibus, secus a ministris. Alia dona si fideles offerunt - a diacono, si adest, secus a sacerdote - recipiuntur et a ministro loco apto prope altare collocantur. (24)

21) De cantu ad offertorium peragendo, cf. quae supra, nota 4, introitum dicta sunt.

22) Lotio manuum in Missa originem ducit ab antiqua manuum lotionem ante quamcumque orationem vel sacram actionem faciendam. In omnibus liturgiis, romana non excepta, decursu temporis diversissimis in locis invenitur, e.g. ante Missam, ante accessum sacerdotis ad altare, ante et post receptionem oblatorum, post thurificationem, ante TE IGITUR et ita porro. In ritu romano vigenti, tres huiusmodi lotiones: antequam sacerdos sacris vestibus se induat, alia in Missa pontificali ad offertorium antequam pontifex ad altare accedat, et tertia in fine offertorii. Eruditissimus quidam peritus censet lotionem manuum melius "ante anaphoram" poni, i.e. ante praefationem. Coetus autem proponit, antiquam traditionem in ritu pontificali servatam pro omnibus Missis esse instaurandam, nempe ut sacerdos manus lavet in initio totius liturgiae eucharisticae, i.e. ante offertorium, ut hoc modo unitas totius huius partis Missae significetur.

23) Structura Missae clarior evadit, si praeparatio altaris, quae est munus ministeriale, non vero sacerdotale, opportune fit a ministris.

24) Cura quoque de donis fidelium recipiendis et loco apto collocandis diacono (si adest) incumbit, dum sacerdos exspectat et postea de manu diaconi patenam cum pane consecrando necnon calicem cum vino aqua mixto accipit. Deficiente diacono, sane ipsi sacerdoti donorum receptio et calicis praeparatio competunt. Quamvis hodie fideles panem et vinum ad sacrificium eucharisticum destinata non e domibus suis afferant, tamen ritus illa dona in liturgia per fideles laicos ad sanctuarium deferendi non despiciendus videtur. Etiam alia dona (e.gr. pro pauperibus) a fidelibus allata, non exclusa pecunia, ex rationibus pastoralibus per liturgiam honoranda videntur. Periculum erroris theologici non adest.

24. Sacerdos accipiens - de manu diaconi, si adest - patenam cum pane eaque ambabus manibus aliquantulum elevatam super altare tenens dicit (25):

SICUT HIC PANIS ERAT DISPERSUS ET COLLECTUS FACTUS EST UNUS,
ITA COLLIGATUR ECCLESIA TUA IN REGNUM TUUM.
GLORIA TIBI, DEUS, IN SAECULA.(26).

- 25) Iam in relatione die 30 septembris 1964 coram Patribus "Consilii" habita (schema 39, nn.56 et 57) habetur: "Omnibus rei liturgicae peritis constat, preces et ritus offertorii plus aliis recognitione indigere, ut quod Offertorium significat, clarius exprimat et a populo facile percipiatur (cf. Const. art. 21,2).

Tollenda ergo vel mutanda sunt omnia, quae speciem oblationis Corporis et Sanguinis Christi praeseferunt et modum loquendi Canonis Missae proprium anticipant. Recognoscendi etiam sunt ritus, quibus panis et vinum offeruntur, ita ut elevatio in sollemnem depositionem mutetur".

Variis modis conati sumus ad hunc finem pervenire, sive adaptando ritum ambrosianum et dominicanum, sive adhibendo formulas orationis super oblata e Sacramentariis desumptas, sive exarando novos textus, qui ritus comitentur. Non sufficere videtur simplex depositio panis et calicis sine ullo textu recitando, oratione super oblata tantum subsequente, sicut agebatur in antiquitate. Sed difficillimum erat invenire textus, qui nec orationem super oblata, nec Canonem Missae anticiparent. Non paucis formulis examinatis, unica tandem solutio expedire visa est, textus nempe seligere, qui modo poetico-symbolico vel panem et vinum, vel et totam actionem peragendam designarent.

- 26) Ad sollemnem depositionem panis proponitur formula ex Didache (cap.9) desumpta et paululum abbreviata. En textum originalem:

"Sicut hic panis dispersus erat super montes, et collectus factus est unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum".

Sodalibus quibusdam obicientibus, frumentum non "super montes", sed potius in planitie, crescere, verba "super montes", similiter et "a finibus terrae" omitentes, formulam accommodavimus, sicut saepissime fit in liturgia.

Conclusio GLORIA TIBI IN SAECULA in contextu Didache invenitur immediate ante SICUT HIC PANIS. Ut persona nominetur, cui "gloria (sit) in saecula", inseruimus DEUS.

Deponit deinde patenam cum pane (27) super corporale (28).

25. Diaconus, si adest - secus sacerdos - infundit vinum et parum aquae in calicem.

26. Sacerdos accipiens (29) - de manu diaconi, si adest - calicem eumque, - diacono iuvante - ambabus manibus aliquantulum elevatum super altare tenens, dicit:

SAPIENTIA AEDIFICAVIT SIBI DOMUM,

MISCUIT VINUM ET POSUIT MENSAM.

GLORIA TIBI, DEUS, IN SAECULA. (30)

Deponit deinde calicem super corporale.

27) Terminologiam quod spectat, notandum "panem" significare totalitatem panis consecrandi, qualiscumque sit numerus "hostiarum". Vox "hostia" in schemate adhibetur, iuxta nonnulla vota, non-nisi post consecrationem.

28) Ad ritum depositionis panis quod attinet, mens est, ut patena cum pane ante sollemnem depositionem non in altari collocetur, sed de manibus diaconi, vel alius ministri, vel etiam fidelis, accipiatur a sacerdote, aliquantulum super altare elevata teneatur et deinde super corporale ponatur.

Coetus libentissime accepit propositionem Eminentissimi Cardinalis Giobbe, votis multorum confirmatam, ut panis semper in patena ponatur, non immediate super corporale.

29) Urceoli cum vino et aqua non in altari ponantur, sed diacono, vel sacerdoti, porrigantur. Infusio vini et aquae fit saltem extra medium altaris.

30) Ad sollemnem depositionem vini proponitur formula ex versibus Prov. 9, 1 et 2 desumpta itemque paululum abbreviata iuxta usum Liturgiae romanae in ant. I ad Laudes in festo SS. Corporis Christi; cf. textum Vulgatae:

"Sapientia aedificavit sibi domum,
excidit columnas septem, immolavit victimas suas,
niscuit vinum et proposuit mensam suam".

Parallelismi causa formulam propositam eadem doxologia concludimus ac illam ad depositionem panis.

27. Inclinator sacerdos subiungit:
IN SPIRITU HUMILITATIS ET IN ANIMO CONTRITO SUSCIPIAMUR A TE, DOMINE.
ET SIC FIAT SACRIFICIUM NOSTRUM IN CONSPECTU TUO HODIE, UT PLACEAT
TIBI, DOMINE DEUS. (31)
28. Pro opportunitate, accepto thuribulo, incensat oblata.
29. Manibus extensis cantat vel clara voce dicit orationem super oblata.
Populus respondet: AMEN.
30. Deinde sacerdos incipit actionem eucharisticam.
Manibus super altare positis, cantat vel clara voce dicit:
DOMINUS VOBISCUM
Populus respondet:
ET CUM SPIRITU TUO
Sacerdos, manus elevans, prosequitur:
SURSUM CORDA
Populus:
HABEMUS AD DOMINUM
Sacerdos, manus iungens, subdit:
GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO
Populus:
DIGNUM ET IUSTUM EST.
Sacerdos, extensis ut prius manibus, prosequitur praefationem:
VERE DIGNUM.....
Iungit manus.
31. Populus una cum sacerdote praefationem concludit cantans vel
clara voce dicens:
SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DOMINUS DEUS SABAOth.
PLENI SUNT CAELI ET TERRA GLORIA TUA.
HOSANNA IN EXCELSIS.
BENEDICTUS QUI VENIT IN NOMINE DOMINI.
HOSANNA IN EXCELSIS.

31) Textus iam a longissimo tempore ex "oratione Azariae in fornace"
desumptus, et ad usum liturgicum aptatus, coctui nostro retinen-
dus videbatur, qui optime exprimit animum eorum, qui in actione
eucharistica semetipsos cum Sacrificio laudis offerre cupiunt.
Textus S. Scripturae sic sonat:

"...sed in animo contrito et in spiritu humilitatis
suscipiamur; sicut in holocausto arietum et taurorum, et
sicut in millibus agnorum pinguum, sic fiat sacrificium
nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam
non est confusio confidentibus in te". (Dan. 3, 39b et 40).

C A N O N M I S S A E (32)

32) Nota praevia

De quaestionibus Canonis Missae sermo erat in relationibus coram Patribus "Consilii" die 17 aprilis 1964 (schema, 7, n.3), et die 30 septembris 1964 (schema 39, nn.60-68).

Ut quaestiones principales - doxologia in fine Canonis interim per Instructionem feliciter instaurata - enumeratae sunt quae sequuntur:

- 1) Series Sanctorum recognoscendae.
- 2) Commemorationes pro vivis atque defunctis forsitan in unum redigendae.
- 3) Acclamationes populi forte inserendae.
- 4) Crucis signationes minuendae vel forte tollendae.
- 5) "Amen" et conclusiones "Per (eundem) Christum Dominum nostrum" infra Canonem occurrentes supprimendae.
- 6) Partes praecipuae Canonis elata voce dicendae, vel cantandae.
- 7) Denique quaestio de altero Canone componendo.

Concelebratione ubique et celebratione versus populum fere ubique cum magno fructu introductis, verae hodierni Canonis difficultates, quarum maiores ritum tantum, minores, attamen graves, etiam textum respiciunt, non amplius solummodo a peritis sed a multis sacerdotibus necnon fidelibus laicis nunc sentiuntur.

Multi catholici ritus latini norunt et anant nunc divitias theologicas, praesertim oeconomiam salutis quod attinet, et pulchritudinem compositionis, quae inveniuntur in anaphoris orientalium.

Fratres quidam separati occidentales in liturgiis suis ad preces eucharisticas redierunt, resumentes in genere traditionem Canonis Missae romanae, et quidem de consulto, quia origines suas negare nolunt, sed tamen illum cum elementis quibusdam orientalibus (vel antiquae christianitatis) ditantes, et aliquonodo, mentalitati hominum nostrae aetatis aptantes. Eruditissimus quidam vir, in re oecumenico ex officio occupatus, qui aliquas ex istis sic dictis "Agendis" sedulo examinavit, censuit: suppositis supponendis, sacerdotio nempe valido et recta intentione, Ecclesiam catholicam Missas cum illis precibus eucharisticis celebratas uti validas agnoscere posse.

Difficultates Canonis romano exstantes non solum in manualibus et doctis monographiis, sed etiam in ephemeridibus aperte discutuntur.

Alii dimicant pro anaphora Hippolythi in liturgiam romanam introducenda.

Alii iam schenata novi Canonis, nomine quidem privato, publici iuris fecerunt.

Forma A

32. Sacerdos, extensis manibus, clara voce (33) dicit:

TE IGITUR, CLEMENTISSIME PATER,
PER IESUM CHRISTUM, FILIUM TUUM, DOMINUM NOSTRUM
SUPPLICES ROGAMUS AC PETIMUS
UTI ACCEPTA HABEAS ET BENEDICAS

signat semel super calicem et panem simul.

Prosequitur Nota praevia (32)

Alii saltem in coetibus suis de novi Canonis schematibus disputant. Non pauca ad nostrum coetum venerunt vota, sive in scriptis, sive oretenus sodalibus nostris expressa.

Multi enim putant etiam quoad Canonem Missae non a limine esse excludenda principia instaurationis a Concilio stabilita:

"Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus, instituta, et partibus mutationi obnoxiiis, quae decursu temporum variari possunt..... Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut sancta, quae significant, clarius expriment, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere... possit (Const. art.21).

".....Christifideles... per ritus et preces id (nempe mysterium fidei in s. Eucharistia celebrandum) bene intelligentes, sacram actionem participant..." (Const. art.48).

Rebus sic stantibus, coetus noster " De Ordine Missae" censuit se officium difficile quidem, sed gravissimum, non implere, si studia de difficultatibus Canonis forte solvendis, vel saltem aliquomodo minuendis omitteret.

Clare dicendum est nentem coetus non esse, ut Canon romanus aboleatur, e contra ut servetur, et quidem forma tradita, adhibendus. Proinde tanquam prima proponitur "forma A". Deinde in "forma B" et in in "forma C" proponuntur variationes quaedam eiusdem Canonis, ut per experimenta patefiat, utrum Canon traditus sine detrimento suae indolis condicionibus mundi hodierni accommodari aliquomodo saltem possit.

33) Opinio communis est Canonem alta voce proferendum, partes eius praecipuas esse cantandas, sicut fit in ritu concelebrationis.

HAEC DONA, + (34) HAEC MUNERA, HAEC SANCTA SACRIFICIA ILLIBATA
extensis manibus prosequitur:

IN PRIMIS, QUAE TIBI OFFERIMUS

PRO ECCLESIA TUA SANCTA CATHOLICA:

QUAM PACIFICARE, CUSTODIRE, ADUNARE ET REGERE

DIGNERIS TOTO ORBE TERRARUM:

UNA CUM FAMULO TUO PAPA NOSTRO N.

ET ANTISTITE NOSTRO N.

ET OMNIBUS ORTHODOXIS ATQUE CATHOLICAE ET APOSTOLICAE FIDEI CULTORIBUS.

33. Commemoratio pro vivis

MEMENTO, DOMINE, FAMULORUM FAMULARUMQUE TUARUM N. ET N.

iungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit: deinde
manibus extensis prosequitur:

ET OMNIUM CIRCUMSTANTIUM,

QUORUM TIBI FIDES COGNITA EST ET NOTA DEVOTIO,

(PRO QUIBUS TIBI OFFERIMUS: VEL)(35)

QUI TIBI OFFERUNT HOC SACRIFICIUM LAUDIS,

PRO SE SUISQUE OMNIBUS:

PRO REDEMPTIONE ANIMARUM SUARUM,

PRO SPE SALUTIS ET INCOLUMITATIS SUAE:

TIBIQUE REDDUNT VOTA SUA AETERNO DEO, VIVO ET VERO.

34) Commissio praeparatoria Concilii iam proposuit:

"Rariores fiant in Missa crucis signationes..."

Crucis signationes, in Canone faciendae, reducendae esse videntur
ad unam, quae in oratione "Te igitur", ad verba "haec dona, haec
munera, haec sancta sacrificia illibata", super panem et calicem
simul fiat.

Experientia, ex celebratione versus populum et ex concelebratio-
ne habita, demonstrat multos gestus durante Canone amplius tole-
rari non posse; et experimenta coetui probant, gestus eo gravio-
res esse, quo sunt rariores.

35) Sunt qui proponunt haec verba (sic dictum "Additamentum Alcuini")
esse onittenda ad normam textus critici (ed. Botte), quia de-
struerent intentionem authenticam huius orationis et essent "minus
utiliter addita" (Const. de sacra Liturgia, art. 50).

34. Infra actionem.

COMMUNICANTES, ET MEMORIAL VENERANTES,
IN PRIMIS GLORIOSAE SEMPER VIRGINIS MARIAE, GENETRICIS DEI
ET DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI:
SED ET BEATI IOSEPH, EIUSDEM VIRGINIS SPONSI,
ET BEATORUM APOSTOLORUM AC MARTYRUM TUORUM,
PETRI ET PAULI,
ANDREAE, IACOBI,
IOANNIS, THOMAE,
IACOBI, PHILIPPI,
BARTHOLOMAEI, MATTHAEI,
SIMONIS ET THADDAEI:
LINI, CLETI,
CLEMENTIS, KYSTI,
CORNELII, CYPRIANI,
LAURENTII, CHRYSOGONI,
IOANNIS ET PAULI,
COSMAE ET DAMIANI:
ET OMNIUM SANCTORUM TUORUM;
QUORUM MERITIS PRECIBUSQUE CONCEDAS,
UT IN OMNIBUS PROTECTIONIS TUAЕ MUNIAMUR AUXILIO.

Iungit manus
PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. (AMEN) (36).

35. Tenens manus expansas super oblata, prosequitur:

HANC IGITUR OBLATIONEM SERVITUTIS NOSTRAE,
SED ET CUNCTAE FAMILIAE TUAЕ,
QUAESUMUS, DOMINE,
UT PLACATUS ACCIPIAS:
DIESQUE NOSTROS IN TUA FACE DISPONAS,
ATQUE AB AETERNA DAMNATIONE NOS ERIPI,
ET IN ELECTORUM TUORUM IUBEAS GREGE NUMERARI. Iungit manus.
PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. (AMEN) (36).

36) "Amen", qui post "Per (eundem) Christum Dominum nostrum" infra Canonem occurrunt, in textu critico vero non inveniuntur, supprimuntur, ne illo clarissimo "Amen" post doxologiam a populo proferendo, detrimento sint.

36. QUAM OBLATIONEM TU, DEUS, IN OMNIBUS, QUAESUMUS,
BENEDICTAM, ADSCHIFTAM, RATAM, RATIONABILEM,

ACCEPTABILEMQUE FACERE DIGNERIS:

UT NOBIS CORPUS ET SANGUIS FIAT DILECTISSIMI FILII TUI
DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

37. Deinde cantat vel clara voce dicit:

QUI PRIDIE QUAM PATERETUR

accipit panem ambabus manibus eumque paulum super altare tenens
elevatum, prosequitur:

ACCIPIT PANEM IN SANCTAS AC VENERABILES MANUS SUAS,
elevat oculos

ET ELEVATIS OCULIS IN CAELUM AD TE DEUM PATREM SUUM OMNIPOTENTEM,
caput inclinat

TIBI GRATIAS AGENS, BENEDIXIT, FREGIT, DEDITQUE DISCIPULIS SUIS
DICENS:

ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Quibus verbis prolati, statim hostiam consecratan ostendit
populo, et reponit super patenam.

38. Tunc, detecto calice, cantat vel clara voce dicit:

SIMILI MODO POSTQUAM CENATUM EST,

accipit calicem ambabus manibus eumque paulum super altare tenens
elevatum prosequitur

ACCIPiens ET HUNC PRAECLARUM CALICEM IN SANCTAS AC VENERABILES
MANUS SUAS:

caput inclinat

ITEM TIBI GRATIAS AGENS, BENEDIXIT, DEDITQUE DISCIPULIS SUIS, DICENS:

ACCIPITE, ET BIBITE EX EO OMNES:

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI,

NOVI ET AETERNI TESTAMENTI:

MYSTERIUM FIDEI

QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR

IN REMISSIONEM PECCATORUM.

HAEC QUOTIESCUMQUE FECERITIS,

IN MEI MEMORIAM FACIETIS.

Quibus verbis prolatis, statim calicem ostendit populo et reponit super corporale. Deinde adorat, genuflexus (37), vel profunde inclinatus, si hoc pro regione statutum est (38).

39. Postea, extensis manibus, cantat vel clara voce dicit:

UNDE ET MEMORES, DOMINE,
NOS SERVI TUI,
SED ET PLEBS TUA SANCTA,
EIUSDEM CHRISTI FILII TUI, DOMINI NOSTRI,
TAM BEATAE PASSIONIS,
NECNON ET AB INFERIS RESURRECTIONIS,
SED ET IN CAELOS GLORIOSAE ASCENSIONIS:
OFFERIMUS PRAECLARAE MAIESTATI TUAE
DE TUIS DONIS AC DATIS
HOSTIAM PURAM, HOSTIAM SANCTAM, HOSTIAM IMMACULATAM;
PANEM SANCTUM VITAE AETERNAE,
ET CALICEM SALUTIS PERPETUAE.

40. SUPRA QUAE PROFITIO AC SERENO VULTU RESPICERE DIGNERIS:

ET ACCEPTA HABERE,
SICUTI ACCEPTA HABERE DIGNATUS ES
MUNERA PUERI TUI IUSTI ABEL,
ET SACRIFICIUM PATRIARCHAE NOSTRI ABRAHAE:
ET QUOD TIBI OBTULIT SUPERIOR SACERDOS TUUS
MELCHISEDECH,
SANCTUM SACRIFICIUM, IMMACULATAM HOSTIAM.

37) Commissio praeparatoria Concilii proposuit quoque:

"Rariores fiant in Missa...genuflexiones..."

Principium supra allatum gestus eo graviore esse, quo sunt rariores, valet etiam pro genuflexionibus. Proinde pro experimento unam tantum genuflexionem retinuimus post utramque consecrationem in adorationem Corporis et Sanguinis Domini quam reverentissime peragendam. Si vero patefieret illam unam genuflexionem ad sensum adorationis exprimendum non sufficere, tunc fiat genuflexio etiam post elevationem hostiae.

Aliis in locis ritus Missae ut signum adorationis et venerationis providimus profundam inclinationem, non solum ne cursus sacrae actionis multis genuflexionibus iterum iterumque interrumpatur, sed etiam ut sacerdotibus provectioris aetatis ex ipso ritu aliqua indulgentia fiat; quod est in non paucorum votis.

38) Ne vero mores populorum, quibus genuflexio non expedit, per textum Missae normativae quodammodo discriminarentur, iuxta mentem Concilii (Const., art.38) rubricam de alio signo adorationis addidimus.

41. Profunde inclinatus, iunctis manibus, prosequitur:
SUPPLICES TE ROGAMUS, OMNIPOTENS DEUS:
IUBE HAEC PERFERRI PER MANUS SANCTI ANGELI TUI
IN SUBLIME ALTARE TUUM,
IN CONSPECTU DIVINAE MAIESTATIS TUAE:
UT, QUOTQUOT EX HAC ALTARIS PARTICIPATIONE SACROSANCTUM
FILII TUI CORPUS ET SANGUINEM SUMPSEIMUS,
OMNI BENEDICTIONE CAELESTI ET GRATIA REPLEAMUR.
PER EUNDEM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. (AMEN) (39)

42. Commemoratio pro defunctis:
MEMENTO ETIAM, DOMINE, FAMULORUM FAMULARUMQUE TUARUM N. ET N.,
QUI NOS PRAECESSERUNT CUM SIGNO FIDEI,
ET DORMIUNT IN SOMNO PACIS.

Iungit manus, et orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus
orare intendit; deinde extensis manibus prosequitur:
IPSIS, DOMINE, ET OMNIBUS IN CHRISTO QUIESCENTIBUS,
LOCUM REFRIGERII, LUCIS ET PACIS,
UT INDULGEAS DEPRECAMUR.

Iungit manus:
PER EUNDEM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. (AMEN) (39)

43. Manu dextera percutit sibi pectus et clara voce dicit:
NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS FAMULIS TUIS,

extensis manibus eadem voce prosequitur
DE MULTITUDINE MISERATIONUM TUARUM SPERANTIBUS,
PARTEM ALIQUAM ET SOCIETATEM DONARE DIGNERIS,
CUM TUIS SANCTIS APOSTOLIS ET MARTYRIBUS:
CUM IOANNE, STEPHANO,
MATTHIA, BARNABA,
IGNATIO, ALEXANDRO,
MARCELLINO, PETRO,
FELICITATE, PERPETUA,
AGATHA, LUCIA,
AGNETE, CAECILIA, ANASTASIA,
ET OMNIBUS SANCTIS TUIS:

39) Vide supra notam 36)

INFRA QUORUM NOS CONSORTIUM,
NON AESTIMATOR MERITI, SED VENIAE, QUAESUMUS, LARGITOR ADMITTE.
iungit manus

PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM.

44. PER QUEM HAEC OMNIA, DOMINE,
SEMPER BONA CREAS, SANCTIFICAS, VIVIFICAS, BENEDICIS
ET PRAESTAS NOBIS.

45. Accipit hostiam et calicem, et elevans eum cum hostia, cantat
vel clara voce dicit:

PER IPSUM, ET CUM IPSO, ET IN IPSO,
EST TIBI DEO PATRI OMNIPOTENTI,
IN UNITATE SPIRITUS SANCTI,
OMNIS HONOR ET GLORIA,
PER OMNIA SAECULA SAECULORUM.

Populus respondet: AMEN.

Calice et hostia depositis, sacerdos profunde se inclinatur.

-
- 46-73 Hi numeri omittuntur, utpote qui, continentes alias duas formas
Canonis cum textu aliquatenus mutato, non amplius sunt ad rem.
-

74. Deinde erectus, iunctis manibus, cantat vel clara voce dicit:
OREMUS.

PRAECEPTIS SALUTARIBUS MONITI, ET DIVINA INSTITUTIONE FORMATI,
AUDEMUS DICERE:

extendit manus et, una cum populo, cantat vel clara voce dicit:

PATER NOSTER, QUI ES IN CAELIS:

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM:

ADVENIAT REGNUM TUUM:

FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CAELO, ET IN TERRA.

PANEM NOSTRUM COTIDIANUM DA NOBIS HODIE:

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA,

SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM;

SED LIBERA NOS A MALO.

75. Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur, cantans vel clara voce dicens:

LIBERA NOS, QUAESUMUS, DOMINE, AB OMNIBUS MALIS,

PRAETERITIS, PRAESENTIBUS ET FUTURIS:

DA PROFITUIS PACEM IN DIEBUS NOSTRIS:

UT, OPE MISERICORDIAE TUAE ADIUTI,

ET A PECCATO SIMUS SEMPER LIBERI ET AB OMNI PERTURBATIONE SECURI:

EXSPECTANTES BEATAM SPEM, ET ADVENTUM SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI.

Iungit manus. Populus una cum sacerdote orationem concludit, (43)
cantans vel clara voce dicens:

QUIA TUUM EST REGNUM,

ET POTESTAS, ET GLORIA

IN SAECULA. (44)

43) Speciali investigatione de embolismo peracta peculiarique voto a Rev.mo P.Raes, Bibliothecae Vaticanae Praefecto, exarato, nobis persuasum est, embolismum Missae romanae omnino esse servandum, quia et in omnibus liturgiis orientalibus - byzantina excepta - et occidentalibus adest.

Tamen ex experientia nova eum canendi vel alta voce dicendi, praesertim in conventibus qui fere cotidie concelebrant, desiderium quasi commune ortum est, ut abbreviatur. Quod facile saltem aliquomodo fit, si series sanctorum onittitur iuxta normam Constitutionis (art.50): "...ea onittantur, quae decursu temporum duplicata fuerunt". Ceterum: "Notandum est nullam anaphoram orientalium intercessionem sanctorum petere" (P.Raes), scil.in embolismo. Quod valet etiam pro liturgiis antiquis gallicanis.

Haec seriei sanctorum onissio praebet occasionem, elementum aliquod novum, sed iucundum addere, quod in Missa romana valde desideratur, eschatologicum nempe: Textus est ille S. Pauli ad Titum 2, 13: "...EXSPECTANTES BEATAM SPEM ET ADVENTUM GLORIAE MAGNI DEI ET SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI", quem aptavimus, onittentes verba sublineata.

44) Embolismum et proinde orationem dominicanam concludimus doxologia omnibus liturgiis orientalibus necnon occidentalibus fratrum separatorum communi (ex quo patet etiam momentum oecumenicum). Ex pluribus textibus variantibus illum elegimus, qui invenitur in quibusdam codicibus manuscriptis Evangelii secundum S. Mattheum, in liturgia armena (cf. Brighman 447) et qui est in usu apud fratres separatos occidentis: "QUIA TUI EST REGNUM, ET POTESTAS, ET GLORIA IN SAECULA". Vota peritorum de musica sacra et experientia nos docuerunt hanc formulam constituere optimam acclamationem a populo una cum sacerdote cantandam, vel clara voce dicendam; proinde non habetur AMEN.

Studia votaue plurimorum peritorum iam ab annis facta secuti, censemus "Pacem" locum suum teneat oportere immediate post embolismum (cf. schema 39, n.72).

76. PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCUM

Populus respondet:
ET CUM SPIRITU TUO.

77. Deinde diaconus, vel sacerdos, pro opportunitate subiungit cantans vel dicens: OFFERTE VOBIS PACEM et omnes, modo convenienti, pacem et caritatem sibi invicem significant (45).

78. Sacerdos profunde se inclinatur. Deinde accipit hostiam eamque super patenam vel calicem frangit, et particulam parvam immittit in calicem dicens secreto:
HAEC SACROSANCTA COMMIXTIO CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI FIAT ACCIPIENTIBUS NOBIS IN VITAM AETERNAM. (46)

79. Interim cantatur vel dicitur:
AGNUS DEI, QUI TOLLIS PECCATA MUNDI: MISERERE NOBIS.
quod repetitur ter, vel etiam pluries, si fractio panis protrahitur.
(47)

45) Formula pro opportunitate subiungenda: "OFFERTE VOBIS PACEM" desumpta est ex liturgia ambrosiana. Quoad ritum pacis peragendum sit libertas pro indole coetus et moribus populorum.

46) Immixtio particulae parvae panis sacri confracti in calicem, quamvis de eius significatione non constat, retinenda videtur, cum sit liturgiae romanae et omnibus liturgiis orientalibus communis. Formula vero hucusque usitata, a multis minus conveniens censetur, quapropter illam a cl. auctore P. Botte propositam inseruimus.

47) "AGNUS DEI", cum sit cantus fractionem panis concomitans ("confractorium"), pluries repetere liceat, si fractio protrahitur. Hac ex ratione et quia "Pax" iam data est (cf. nn. 76 et 77 schematis), omittuntur verba "DONA NOBIS PACEM"; nihil tamen impedit, quominus in cantibus iam exstantibus etiam deinceps contentur.
Sunt qui proponunt, ut libertas fiat loco "AGNUS DEI" alia "confractoria" in Missa romana cantare, sicut in aliis liturgiis.

80. Sacerdos secreto:

DOMINE IESU CHRISTE, FILI DEI VIVI, QUI EX VOLUNTATE PATRIS,
COOPERANTE SPIRITU SANCTO, PER MORTEM TUAM MUNDUM VIVIFICASTI:
LIBERA ME PER HOC SACROSANCTUM CORPUS ET SANGUINEM TUUM AB OMNIBUS
INIQUITATIBUS MEIS ET UNIVERSIS MALIS: ET FAC ME TUIS SEMPER INHAE-
RERE MANDATIS, ET A TE NUMQUAM SEPARARI PERMITTAS (48).

81. Sacerdos accipit partem hostiae confractae, eamque aliquantulum
elevatam super patenam tenens, ad populum versus, clara voce dicit(49):
ECCE AGNUS DEI, ECCE QUI TOLLIT PECCATA MUNDI.
BEATI QUI AD CENAM AGNI VOCATI SUNT (50).

Omnes ter subdunt:

DOMINE, NON SUM DIGNUS, UT INTRES SUB TECTUM MEUM
SED TANTUM DIC VERBO,
ET SANABITUR ANIMA MEA.

82. Et sacerdos, ad altare versus, submissa voce dicit:
CORPUS CHRISTI CUSTODIAT ME IN VITAM AETERNAM.
Et reverenter sunit Corpus Christi.

-
- 48) Ex tribus orationibus privatis ante communionem hucusque praecrip-
tis, secunda retinetur a sacerdote dicenda. Ceterum, ut "bingu-
larum partium propria ratio necnon mutua connexio clarius pateant"
(Const. art.50), consuevit iter ab oratione Dominica usque ad ipsam
communionem aliquomodo abbreviandum esse, elementis quibusdam se-
cundariis omissis. E contra vero, post communionem tempus laudis
vel gratiarum actionis, pro opportunitate, aliquantulum protrahen-
dum esse putavimus, vota multorum sequentes (cf. n.88 schematis).
- 49) Ut ritus sacram communionem a sacerdote sumendi et fidelibus dandi
arctius cohaereat, ita ut communio totius familiae Dei circa non-
sam eucharisticam tanquam actio unica appareat (cf. schema 39,
n.74), hunc in locum ponuntur verba "ECCE AGNUS DEI" a sacerdote
dicenda, et "DOMINE, NON SUM DIGNUS" ab omnibus profcrenda.
- 50) Formulam "ECCE AGNUS DEI" amplificavimus elemento ex Apocalypsi
19,9 desumpto; textus ibi sonat: "Beati, qui ad cenam nuptiarum
Agni vocati sunt".

83. Deinde dicit:

QUID RETRIBUAM DOMINO PRO OMNIBUS, QUAE RETRIBUIT MIHI?
CALICEM SALUTARIS ACCIPIAM, ET NOMEN DOMINI INVOCABO.

Accipit calicem et prosequitur:

SANGUIS CHRISTI CUSTODIAT ME IN VITAM AETERNAM.

Et reverenter sumit Sanguinem Christi et perseverat aliquantulum in oratione.

84. Postea accipit patenam vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:
CORPUS CHRISTI.

Communicandus respondet :

AMEN.

Et communicatur.

Eo modo agit et diaconus, si pro opportunitate sacrae communionem distribuit.

85. Si adsint sub utraque specie communicandi, servetur ritus suo loco descriptus.

86. Dum sacerdos sumit Corpus Christi, incipitur cantus ad communionem.

87. Distributione communionis expleta, sacerdos et diaconus ad altare reversi, colligunt fragmenta, si quae sint, et purificant patenam super calicem. Deinde calix aqua purificatur et linteo extergitur a diacono ad abacum vel, si non adest diaconus, a sacerdote pro opportunitate sive ad abacum, sive ad altare, quo in casu vasa purificata a ministro deferuntur ad abacum. Sacerdos lavat manus et redit ad sedem.
(51)

51) E communiatibus quibusdam, in quibus concelebratio cotidie fit, vota ad nos delata sunt, ut liceret post communionem ad sedes redire, ea ratione, ut tota dispositio ritus finalis Missae maiori cum ordine fieri posset.

Re a coetu nostro examinata, nobis visum est vota ista non esse reicienda, et quidem non tantum ex illis rationibus practicis, verò etiam, quia istis votis admissis, tota pars finalis Missae clarior et maioris momenti fit: Missa ibi oratione et populi dimissione terminatur, ubi initium habet.

Licet tamen vasa purificanda, praesertim si sint plura, in altari super corporale, velo cooperta, relinquere eaque post Missam, populo dimisso, purificare (52).

88. Pro opportunitate deinde, praemissa, si placet, admonitione, canuntur vel dicuntur sive hymnus, sive psalmus, sive aliae preces laudis (53).

89. Sacerdos, versus ad populum, cantat vel clara voce dicit: OREMUS.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant. Deinde sacerdos, manibus extensis, cantat vel clara voce dicit orationem post communionem, quam populus concludit, acclamans: AMEN.

90. Sequuntur, si habendae sint, adnuntiationes breves ad populum faciendae.

52) Purificationem sacrorum vasorum quod attinet, cura nostra erat duplex:

1) ut omnia quam reverentissime et cum pulchritudine fiant;

2) ut "propria ratio" (Const. , art. 58) etiam huius partis Missae clarior appareat.

"Propria ratio" autem pro vasis sacris purificandis est ut non sit munus sacerdotale, sed ministerium diaconi, nec de more peragatur super ipsum altare, sed, in quantum opportune fieri potest, cum omni dignitate ad abacum, sicut nos est in omnibus aliis liturgiis, et fit in ritu concelebrationis (Ritus Missae Pontificalis, n. 57). Quam ad rationem accedit momentum reverentiae et pulchritudinis, quod saltem aliquando laedi potest, si plura vasa sacra in celebratione versus populum coram omnibus necessaria cum diligentia purificare opus est.

53) Sacerdotes fidelesque multi conqueruntur Missam - praesertim ultimo evangelio dempto, quod tamen nemo reintrodúcere vult - quasi ex abrupto absolvi. Proinde non incongrua videtur propositio nostra, ut liceat, pro opportunitate, ante orationem post communionem sive hymnum, sive psalmum vel alias preces laudis inserere

91. Deinde fit dimissio. Sacerdos versus ad populum cantat vel clara voce dicit:
DOMINUS VOBISCUM (54)
Populus respondet:
ET CUM SPIRITU TUO.
92. Diaconus, vel, si non adest, sacerdos, manibus iunctis, ad populum versus, cantat vel clara voce dicit:
ITE, MISSA EST.
vel, si qua actio liturgica sequatur:
BENEDICAMUS DOMINO.
Populus respondet:
DEO GRATIAS.
93. Sacerdos benedicit populum cantans vel clara voce dicens:
BENEDICAT VOS OMNIPOTENS DEUS,
PATER, ET FILIUS, + ET SPIRITUS SANCTUS.
vel orationem super populum, vel aliam benedictionem, sicut pro tempore vel die statutum est (55).
Populus respondet:
AMEN.
94. Denique sacerdos cum ministris, facta altari debita reverentia, recedit, et omnes revertuntur ad opera sua bona, collaudantes Deum.

I. Wagner
Relator

A. Haenggi
Secretarius

-
- 54) Ante Postcommunionem salutatio "Dominus vobiscum" omittenda videtur, e contra postea ad dimissionem populi tanquam valedictio retinenda.
- 55) Aliis benedictionibus sacerdotalibus in fine Missae forsitan habendis coctus competens studet. Tempore opportuno de iis peculiaris relatio proponetur.

Coetus X: De Ordine Missae

Treveris, 2.III.1967.

CONSPECTUS SUFFRAGATIONUM
quae in Sessione plenaria "Consilii", diebus 21, 22 et 26 Octobris 1965, de Schemate I Ordinis Missae habitae sunt.

Nota praevia

Ad illud schema I Ordinis Missae alligata erant folia cum quaesitis peculiaribus. Ex quibus in sequenti solummodo resumantur illa quaesita, de quibus disputatio et suffragatio peculiaris facta est.

Ad n. 3

Salutatio populi, diversis formulis pro opportunitate adhibitis.

PLACET OMNIBUS

Ad n. 4

Utrum placeat ut in initio Missae adsit aliquis actus poenitentialis

VOTANTES: 36
PLACET : 28
NON PLA.: 8

Ad n. 5

Kyrie, pro opportunitate omittendum quando habetur
Gloria

VOTANTES: 36
PLACET : 18
NON PL. : 17
IUXTA M.: 1

Ad n. 6

Gloria, dicendum omnibus diebus dominicis extra Quadragesimam et in festis I et II classis.

PLACET quasi UNANIMITER

Ad nn. 12-13

Formulae a diacono vel sacerdote dicendae sicut in Schemate.

PLACET OMNIBUS

Ad n. 16

Acclamatio post Evangelium, pro opportunitate.

PLACET OMNIBUS

Ad n. 18

Symbolum omnibus diebus dominicis et festis de praecepto

PLACET OMNIBUS

Ad n. 19

Oratio communis seu fidelium tamquam elementum stabile structurae Missae Liturgiam Verbi concludens.

PLACET OMNIBUS

Ad n. 21

Cantu incepto lotio manuum sacerdotis.

PLACET OMNIBUS

Ad nn. 22-23

Praeparatio altaris... receptio donorum, etc.

PLACET OMNIBUS

Ad n. 24

Sollemnis depositio panis cum formula: "Sicut hic panis..."

PLACET OMNIBUS
5 EXCEPTIS

Ad n. 26

Sollemnis depositio calicis cum formula: "Sapientia..."

PLACET OMNIBUS
PRO EXPERIMENTO

Ad n. 27

Ut sacerdos dicat orat.: "In spiritu humilitatis"

PLACET OMNIBUS

Ad n. 28

Incensatio oblatorum, pro opportunitate et sine formula

PLACET OMNIBUS

Suffragationes de Canone separatim factae sunt.

Ad nn. 82-83 Sumptio Corporis et Sanguinis Christi a sacerdote cum formulis ut in schemate.

PLACET OMNIBUS

Ad n. 87 Purificatio sacrorum vasorum et lotio manuum sacerdotis, sicut in schemate

PLACET OMNIBUS

Reditus sacerdotis ad sedem, pro opportunitate

PLACET OMNIBUS

Ad n. 88 Hymnus, sive psalmus, sive aliae preces laudis, pro opportunitate

PLACET OMNIBUS

Ad nn 90-94 Omnia quae in his numeris continentur Patribus

PLACUERUNT

Quaesita ad actionem eucharisticam

1.- Quoad ritum

Quaeritur an placeat Patribus:

- a) Ut totum Canonem Missae clara voce, eiusdemque autem partes praecipuas cantare liceat.

PLACET OMNIBUS

- b) Ut una tantum crucis signatio facienda sit, et quidem in oratione Te igitur ad verba "haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata"

PLACET OMNIBUS

- c) Ut post consecrationem panis et vini una tantum habeatur genuflexio in signum adorationis Corporis et Sanguinis Christi, - vel aliud signum adorationis, iuxta mores populorum, ab auctoritate territoriali statuendum.

PLACET: 22
NON PLACET: 11

2.- Quoad textum

Quaeritur an placeat Patribus:

a) Ut pro experimento admittatur formula A
PLACET OMNIBUS

b) Ut etiam admittatur formula B

VOTANTES: 32
PLACET : 25
NON PLAC. 6
IUXTA M.: 1

c) Ut etiam admittatur formula C

VOTANTES: 32
PLACET : 22
NON PLAC. 10



CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

Coetus X.: De Ordine Missae

INTRODUCTIO GENERALIS IN NOVAS "ANAPHORAS" SEU "PRECES EUCHARISTICAS"

1. Necesse non est denuē intrare in enumerationem difficultatum quae hodie fere ubique circa Canonem Romanum actualem sentiuntur. Difficultates hae in Sessione plenaria "Consilii" mense octobri anni 1965 palam explanatae et mature perpensae esse videntur. Quod tunc portis clausis coram vobis dictum est, hodie in libris, ephemeridibus, immo diariis aperte enuntiatur. Nemo nunc negare potest veras illas difficultates crescere in dies.
 2. Coetus X voluntate permotus, ut traditio romana, quae in Canone Romano invenitur, fideliter servaretur, simul tamen difficultates saltem aliquomodo solverentur, tres tunc formas Canonis romani Patribus "Consilii" proposuit:
 - Forma A, cum textu tradito, sed secundum scientiam criticam leviter emendato;
 - Forma B, praecipue cum seriebus Sanctorum revisis;
 - Forma C, insuper cum intercessionibus aliter dispositis.
- Omnes tres formae a Patribus suffragatae sunt (Exitum suffragationis vide in Documento 3: "Conspectus suffragationum").
3. Attamen non defuerunt periti, qui desiderabant revisionem quidem criticam textus actualis, sed possibilitatem evolutionis et adaptationis huius textus quoad exigentias nostri temporis omnino negabant ex rationibus historicis et litterariis; postulabant autem, communi insistencia, ut ad latus Canonis Romani traditi novus Canon conderetur.
 4. De hac re, de exitu suffragationum, de sententiis diversis, de voto novi canonis, Summo Pontifici relatio fusior facta est cuius in fine haec dicebantur:

"Qualora si dovesse riaprire la questione circa la composizione di una nuova prece eucaristica, tenendo presenti le difficoltà che l'attuale Canone romano presenta sotto l'aspetto pastorale, il Coetus X si sentirebbe onorato di poter' elaborare dei progetti. Nel qual caso si sentirebbe ugualmente

impegnato a fare in modo che, anche nella nuova prece eucaristica, rimanga evidente il genio romano, di modo che la Messa romana rimanga coerente allo spirito della liturgia romana."

5. Beatissimus Pater respondit in audientia, die 20 mensis junii 1966 Cardinali Praeside "Consilii" conessa:

"Si lasci immutata l'anafora attuale; si compongano o ricerchino due o tre Anafore da usarsi in particolari determinati tempi".

En mandatum quod coetus X libenter accepit.

6. Novus labor per litteras ad sodales statim inchoatus est, ita ut iam in fine aestatis anni elapsi propositiones quaedam anaphoras novas spectantes a consultoribus confectae ad nos pervenerint. Insuper non pauci periti extra coetum, quamvis ^{de} statu rei nihil scirent, sua sponte suggestiones respectivas miserant. In fine anni delapsi enumerare potuimus iam circa quindecim novas propositiones.

7. Nec tempus nec res satis maturae videbantur, ut in ultima sessione "Consilii" aliquid concretum Patribus proponeretur. Ad opus tanti momenti cum spe successus arripiendum studia profundiora prolongare oportebat. Ceterum patuit numerum collaboratorum in coetu ipso esse augendum. Petivimus ergo ab Eminentissimo Praesidi "Consilii", ut novi consultores et consiliarii coetui nostro aggregerentur, inter quos, propter aspectum pastorem, etiam moderatores actionis liturgicae quibusdam ex nationibus nominati sunt.

Memoria quoque digna est magnanimitas Abbatis Montiserrati, qui permisit ut P.A.Franquesa per tres fere menses Treveris apud Relatorem Coetus versaretur, ut res, quam Secretarius "Consilii" litteris suis saepe saepius "urgentissimam" appellavit, celerius promoveri posset.

8. Laborem novum aggressi sumus primo per litteras, deinde per colloquia peculiaria cum nonnullis peritis, postea per conventus particulares Oeniponti, Parisiis, Lovanio habitis, tandem per duas sessiones plenarias totius coetus quae locum habuerunt:

Prima in "Orselina" supra Locarnum in Helvetia diebus 24 - 30 januarii, id est, per unam hebdomadam completam, cuius sessionis partem habuit etiam cl. D. Botte, specialiter rogatus.

Secunda in pago Nemorensi apud Patres Verbi Divini, diebus 8 - 12 mensis martii.

De quibus duabus sessionibus a pro-secretario coetus confectum est protocollum fere verbale attingens plus quam centum paginas. Parcite nobis: uti patet, ne extractum quidem hic vobis premere possumus. Tantum de fructibus conatuum nostrorum, etsi non iam ad plenam maturitatem pervenerint, vobis

referre tempus permittit.

9. Hoc in negotio bene consideranda erant verba mandati Summi Pontificis: " si compongano o ricerchino" . Duplex ergo conatus erat faciendus:

a.) Investigatio anaphorarum in diversis ritibus exstantium, an quaedam invenirentur, quae aptae essent, ut

- I. vel adopterentur
- II. vel adaptarentur

b.) Nova compositio

10. Ad primum conatum quod attinet fere communis erat sententia peritorum inter varias anaphoras existentes ~~nam~~ prae aliis forsitan posse adoptari, nempe anaphoram S. Basilii alexandrinam, et aliam satis faciliter posse adaptari, nempe anaphoram S. Hyppoliti.'

Adoptionem anaphorae S. Basilii quod spectat omnes sodales consentierunt, uno excepto. Pro adaptatione vero anaphorae S. Hyppoliti consensus fuit unanims.

11. Ad secundum vero conatum quod attinet, primo in sessione Orselinensi.

principia ~~pre~~is eucharisticae ex ~~novo~~ condendae una cum consecutione idearum stabilita sunt. Postea multae observationes necnon sex schemata completa a sodalibus proponebantur, de quibus in sessione Nemorensi et per sub-commissiones peculiare et per sessiones plenarias, coetus disputavit.

12. Post longam et non facilem disceptationem unum schema ex eis quae facilius cum praefationibus existentibus (et in futuro condendis) componi posse videbantur, elegimus unum ut "textum a quo" et subcommissionem parvam destinavimus, quae textum expenderet, evolveret, perficeret, sessioni plenariae coetus iterum proponeret.

De hac propositione tunc suffragatio facta est, eo sensu, ut textus admitteretur in genere, it est: ne amplior perfectio excluderetur.

13. Cum autem et in aliis propositionibus elementa non spernenda inventa sint, quae tamen difficiliter cum praefationibus fixis componuntur, a D.

Secretario "Consilii" permissionem petivimus, ut etiam conatus fiat peculiarem precem eucharisticam apparandi cum praefatione fixa. Hoc quoque negotium subcommissioni peculiari commendatum est, quae autem, tempore deficiente, coetui pleno adhuc nihil proponere potuit. Ceterum, quia haec quaestio intime cohaeret cum illa de anaphora S. Basilii forsitan adoptanda, patet eam posse solvi solummodo hac ultima quaestione de anaphora orientali decisa..

14. Maxima nobis difficultas exorta est ex officio servandi ingenium romanum, ita ut novae preces eucharisticae intime cohaererent et cum spiritu liturgiae romanae in genere, et cum tota indole Missae romanae in specie.

15. De hoc ingenio romano per longum et latum coetus disputavit, theoretice et in concreto. Estne hoc ingenium solummodo sobrietas quaedam in usu verborum?

Suntne ideae quaedam in prece eucharistica omnino exprimendae?

Estne consecutio singularum partium, e.g., locus intercessionum?

Estne absentia gratiarum actionis pro oeconomia salutis in parte "precis eucharisticae" post Sanctus?

Estne absentia enuntiationis totius oeconomiae salutis in unaquaque celebratione, ita ut praefationes mobiles semper solummodo aliquam partem totius exprimant et ... oeconomia solummodo per circulum anni liturgici tota enuntietur?

16. Hae quaestiones eo difficiliores apparebant quod hucusque unum tantum exemplar "precis eucharisticae" romani exstat: nempe "Canon Romanus".

17. Coetus demum viam practicam elegit, ratione habita duorum momentorum:

a.) necessitatis essentialis precem deprecatoriam ad consecrationem (epiclesis) ante narrationem institutionis inserendi;

b.) necessitatis practicae (et plus quam practicae!) servandi (et augendi!) corpus praefationum mobilium et de more ex eis unam (secundum rubricas stabiliendas eligendi).

18. Ceterum libertas tria (vel quattuor) nova schemata proponendi admisit, immo suadebat, quandam diversitatem quoad singula, ita ut non idem in omnibus repeteretur, sed varietas quaedam adesset in dispositione, stilo, terminologia et expressionibus.

19. Quaestio, utrum et quousque expediat hanc varietatem extendere etiam ad narrationem institutionis et ipsa verba dominica, est adhuc sub lite.

Coetus hanc quaestionem disputare coepit sed non absolvit. Maluit redactionem quasi definitivam singulorum schematum expectare et deinde ad quaestionem redire.

20. Fere eadem est quaestio de doxologia finali uniuscuiusque precis eucharisticae.

21. Coetus suum fecit votum permultorum, ut facultas concedatur post narrationem institutionis seu consecrationem, pro opportunitate inserendi acclamationem populi in genere anamneseos redactam, sicut fit in fere omnibus liturgiis. Ut textus provisorius (i.e., adhuc perpoliendus) proponitur:

"Mortem tuam annuntiamus, Domine, et resurrectionem tuam confitemur donec venias"

22. Haec ergo acclamatio pro futuro esset novum quasi elementum, ut ita dicam,

Ordinarii Missae. Auctoritatibus autem territorialibus libertas manere debet textum in lingua vernacula secundum leges artis poeticae uniuscuiusque linguae **redigere.**

23. Quaestionem rubricarum quod spectat coetui visum est illam esse pro tempore remittendam. Primum constituantur textus, rubricae equantur.

24. Omnes textus proponuntur, ut disputatione habita, si schemata placent, tamen in genere tantum approbentur, ita ut libertas remaneat singulos textus quoad **peculiar**ia perficiendi sive in **seipsis**, sive in relatione cum aliis.

25. Terminologiam quod attinet, suggerimus, ut non de novis "anaphoris" loquamur vel saltem solummodo technice, brevitatis causa. Terminus proprius sit "Prex Eucharistica".
26. Inter omnes illas "Preces" primum locum tenet et tenere debet: "Canon Romanus", qui manet "Prex eucharistica I".
27. Seundo loco proponimus "Prex Eucharistica brevior" quae "Prex" sequitur plus minusque genus anaphorae Hyppoliti, praecipue in prima parte. Ornata est duabus praefationibus quasi fixis, quae ergo non excludunt alias praefationes mobiles. Exinde haec "Prex Eucharistica brevis" semper adhiberi posset.
28. Tertio loco proponimus:

"Prex Eucharistica III"

Haec prex cum omnibus praefationibus existentibus vel condendis componi potest, quia peculiaris gratiarum actio pro oeconomia salutis habetur solummodo in praefatione, non in textu Post Sanctus.

29. Pro quarto loco provisa est

"Prex Eucharistica IV"

Hic typus uti patet aliquomodo a traditione romana discederet et typo orientali quadammodo se appropinquaret.

Notae peculiares essent sequentes:

- a.) Praefatio fixa in qua laus datur Deo propter magnam gloriam suam (internam) et propter creationem in genere.
- b.) In oratione post Sanctus modo satis amplo exponitur oeconomia salutis inde a creatione hominis usque ad Pentecosten. Deinde fit transitus ad epiclesim et ad narrationem institutionis.

De hac prece sicut iam dictum est, nondum concretum quid pro tempore proponere possumus.

30. Ultimo loco proponimus:

"Anaphora S. Basilii Alexandrini"

Quamvis haec anaphora discedat ab indole romana, tamen coetus visum est in tota quasi oeconomia corporis "Precum Eucharisticarum" inter alias romanas unam anaphoram vere orientalem tamquam signum oecumenicum posse adoptari quibusdam in occasionibus adhibendam.

31. Ulteriora de Precibus Eucharisticis propositis, a relatoribus peculiaribus in relationibus specialibus explicabuntur.

In pago Nemorensi, die 17, m. martii, 1967

P. Adalbertus Franquesa
Pro-Secretarius

Johannes Wagner
Relator

Coetus X : De Ordine Missae

RELATIO PECULIARIS DE PRECE EUCHARISTICA SECUNDA BREVIORI !

Nota praevia :

1. Principalis fons textus huius Precis Eucharisticae est Anaphora S. Hyppoliti. Adsunt enim plurimi qui desiderant ut introducatur in liturgiam romanam illa anaphora ratione sive venerabilis antiquitatis, sive simplicis structurae, sive divitiarum sui contentus, necnon ratione habita eius traditionis in multis anaphoris orientalibus.

2. Tamen haec Prex Eucharistica quae ab ineunte saeculo III provenit, aptari non potest ad hodiernum usum liturgiae romanae, quin in ipsam introducantur elementa quaedam quae in omnibus liturgiis, posteriore tempore, introductae sunt, ut ex. gr. Sanctus, intercessiones, commendatio oblationis, etc. Etiam liturgia coptica, cum medio aevo hanc Anaphoram Hyppoliti adoptavit, addidit nova elementa quae ad propriam traditionem servandam indispensable videbantur.

Introductio :

I. Praefatio (lin. 1 - 13)

1. Introductio: VD.....gratias agere

Formula introductionis est ipsa formula Missalis romani. Potius hanc formulam traditionalem retinere voluimus, quam adoptare formulam Hyppoliti Gratias tibi referimus. Et quidem ut hoc modo ex una parte textus melodiis traditionalibus aptari possit, et ex alia parte haec praefatio etiam pro aliis Precibus eucharisticis adhiberi possit.

2. Pars centralis praefationis: Per dilectum... resurrectionem manifestet.

Fere omnes formulae in textu nostro propositae ex textu Hyppoliti proveniunt, tamen sub respectu pastorali quaedam expressiones vel eliminatae vel aliquando mutatae sunt. Eliminavimus, ex.gr.:

illas formulas quae a peculiari theologiae Hyppoliti proveniunt, uti verbum tuum "inseparabile"

modos archaicos, ut : "puerum" tuum Jesum Christum,

formulas captu difficiliiores, ut: Angelum voluntatis tuae, terminum figat.

In hac adaptatione etiam prae oculis habuimus simplicitatem et quandam brevitatem. Praecipue vero intentione nostra erat rationem habere valoris catechetici locutionum, ita ut haec "Prex brevis eucharistica" aptior esse posset foritan pro Missis puerorum.

3. Conclusio: Et ideo...dicentes

Haec conclusio pendet a : Et idea cum omnibus angelis et multiplici turba sanctorum te laudamus, dicentes (Missale Gothicum, n.301; cfr. etiam Messes de Mone, n.282)

II. - Vere sanctus et epiclesis (lineae 15 - 18)

Nexus inter praefationem et narrationem institutionis, ut patet, non potest ex Hyppolito sumi, cum in illa anaphora desit Sanctus. In nostro textu nexus constitutus est per Epiclesim, nempe per illam traditionalem invocationem Spiritus Sancti intuitu donorum consecrandorum.

Formula proposita intime connexa est cum praecedenti acclamatione Sanctus et cum eis quae sequuntur, nempe cum narratione institutionis. Vere sanctus evolvit conceptum sanctitatis Dei uti fontis totius sanctitatis:

Fontes litterariae huius formulae:

"Fons omnis sanctitatis" = Liber mozarabicus sacramentorum

"Spiritus tui rore sanctificas" = Missale Gothicum, n.271.

III. - Narratio institutionis (Consecratio) (lin. 19 - 22)

Narratio institutionis apud Hyppolitum nimis brevis videtur esse: desunt enim quaedam praecipua elementa quae inveniuntur in omnibus liturgiis, ut, ex.gr.: allusio ad novum testamentum et ad remissionem peccatorum.

Propterea ut verba consecrationis proponuntur fere eadem ac in Canone romano. Sed in consecratione panis addita sunt iuxta vota multorum, verba evangelica Quod pro vobis tradetur. Verba vero Mysterium fidei, quae posteriori tempore in Canone romano introductae sunt et in illo servantur, in illam novam anaphoram brevem melius non introducendae videntur.

IV. - Anamnesis1. Acclamatio populi (lin. 28)

In omnibus liturgiis orientalibus adest acclamatio populi in anamnesi. Formula proposita est redactio provisoria. Forsitan adaptari potest iuxta indolem diversarum gentium.

2. Prex sacerdotalis anamneseos (lin. 29 - 31)

Formularium sacerdotale anamneseos est essentialiter idem ac illud Hyppoliti. Tamen addita sunt secundum usum S. Scripturae ad verbum panem, verbum vitae; ad verbum calicem, verbum salutis.

V. - Supplices : (lin. 32 - 34)

Oratio Supplices resumat ideas quasdam ex epiclesi in Anaphora Hyppoliti:

Hyppolitus :

Et petimus des omnibus qui
percipiuntur de sanctis in
repletionem Spiritus sancti
in unum congregans

Textus propositus :

Supplices deprecamur
ut participantibus corpus et
sanguinem Christi a Spiritu
sancto in unum congregemur.

VI - Oratio intercessionis (lin. 35-42)

Omni cum studio curavimus ut intercessionibus aliquid unum efficerent cum tota prece eucharistica, et non viderentur uti corpus alienum ibi insertum. Quae connexio praecipue ex verbis in initio et in fine clare apparere videtur.

1. Evocatio sanctorum

Est veluti prolongatio epicleseos postconsecratoriae.

2. Memento defunctorum, fluit quodammodo naturaliter ex evocatione sanctorum.

3. Oratio pro Ecclesia peregrinante et pro hierarchia finitur per visionem escatologicam, quae coronatur quodammodo per doxologiam.

VII - Doxologia (lin. 43-45)

Doxologia est derivata ex anaphora Hyppoliti. Tamen resumpta non est mentio de Ecclesia quia ex una parte talis mentio in contextu trinitario illius anaphorae est aliquid peculiare theologiae Hyppoliti, et ex alia parte iam sermo factus est de Ecclesia in oratione intercessionis.

In pago Nemorensi, die 11. III. 1967

D. Pierre JOUNEL

PREX EUCHARISTICA II BREVIOR

1. Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique
2. gratias agere,
3. Sancte Pater,
4. per dilectum Filium tuum Jesum Christum,
5. Verbum tuum per quod omnia fecisti,
6. quem misisti nobis Salvatorem et Redemptorem,
7. incarnatum de Spiritu Sancto, et ex Virgine natum .
8. Qui voluntatem tuam complens,
9. et populum sanctum tibi acquirens,
10. extendit manus cum pateretur,
11. ut mortem solvat et resurrectionem manifestet.
12. Et ideo cum Angelis et multiplici turba sanctorum
13. te praedicamus dicentes:
14. Sanctus....
15. Vere Sanctus es Domine et fons omnis sanctitatis,
16. haec ergo dona quaesumus
17. Spiritus tui rore sanctificare digneris,
18. quo fiant nobis corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi,
19. Qui cum traderetur voluntariae Passioni
20. accepit panem et gratias agens fregit, deditque discipulis suis dicens:
21. Accipite et manducate: HOC EST ENIM CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS TRADATUR;
22. Simili modo postquam cenatum est, accipiens et hunc calicem,
23. iterum gratias agens dedit discipulis suis dicens;
24. Accipite et bibite ex eo omnes:
25. HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI,
26. QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.
27. Haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.
28. (Populus) Mortem tuam annuntiamus Domine, et resurrectionem tuam confitemur donec venias.
29. Memores igitur mortis et resurrectionis ejus,
30. offerimus tibi panem vitae et calicem salutis,
31. gratias tibi agentes quia nos dignos habuisti adstare coram te et tibi ministrare.
32. Et supplices deprecamur
33. ut participantes corpus et sanguinem Christi
34. a Spiritu Sancto, in unum congregemur,
35. et cum beata Dei genetrice Maria, beatis Apostolis,
36. et omnibus Sanctis qui tibi a saeculo placuerunt
37. partem habeamus.
38. Memento etiam Domine illorum qui dormierunt in spe resurrectionis
39. et admitte eos in lucem vultus tui.

40. Nobis quoque famulis tuis, una cum Papa nostro et Antistite nostro,
41. et omnibus fidelibus in Ecclesia toto orbe diffusa,
42. concede ut perficiamur in caritate
43. et ad regnum tuum pervenire valeamus,
44. in quo te laudemus et conglorificemus per Filium tuum Jesum Christum
45. per quem tibi gloria et honor in Sancto Spiritu
46. nunc et in saecula saeculorum.

AMEN.

Coetus de Ordine Missae X :

RELATIO PECULIARIS DE PRECE EUCHARISTICA III :

1. Haec Prex Eucharistica conficitur ita, ut possit adhiberi cum quacumque ex praefationibus romanis, sive extantibus sive noviter conficiendis. In traditione romana solum in his praefationibus, uti notum est, directe exprimitur Deo laus et gratiarum actio pro oeconomia salutis et quidem ut in pluribus, non eam exponendo totam simul in una praefatione, sed partim in una et partim in alia secundum diversa festa liturgica.
2. Ideo in schemate proposito oratio post Sanctus (n.II) concipitur uti simplex transitus a Sanctus ad Epiclesim (et exinde ad narrationem Institutionis). In hac oratione :
 - a.*Oeconomia divina, quae explicatur in praefatione, non ulterius exponitur, sed solum recapitulatur per quandam brevem expressionem genericam uti observatur in traditione gallicana.
 - b. Ad praeparandum transitum ad epiclesim consecratoriam, in hac expressione generica fit allusio ad opus sanctificationis per Spiritum Sanctum cuius fructus est etiam congregare ecclesiam ad cultum Deo offerendum.
3. In Epiclesi consecratoria (n.III) :
 - a. Mentio fit explicita Spiritus Sancti.
 - b. Non repetitur conceptus de oblatione donorum, sed recolitur talis oblatio iam facta in oratione super oblate.
 - c. In fine fit allusio ad mandatum Domini de eucharistia, quo habetur connaturalis nexus cum subsequenti narratione Institutionis: Ipse enim....
4. In Narratione Institutionis :
 - a. In initio dicitur: cum se erat traditurus in mortem secundum traditionem orientalem, etiam ad evitandas simplices repetitiones non necessarias canonis romani .

b. Ad verba consecrationis panis additur: quod pro vobis tradetur, secundum 1. Cor. 11, 24 in vulgata. Conceptus est non parvi momenti ad maiorem explicitationem aspectus sacrificialis eucharistiae.

5. In Anamnesi (n.V) :

a. Exprimitur explicita expectatio secundi adventus, secundum traditionem multarum anaphorarum.

b. Item exprimitur explicita vis sacrificialis oblationis in hoc loco. Expressio : sacrificium vivum et sanctum habetur in anaphora Theodori Mopsuesteni.

c. Oblatio exprimitur ita ut eius obiectum directum et primarium appareat clare ipse Christus.

6. In oratione ad commendationem sacrificii et ad communionem fructuosam (n.VI):

a. Exprimitur conceptus oblationis Ecclesiae.

b. Item conceptus de receptione Spiritus in ipsa communione corporis et sanguinis Domini. Hoc modo haec oratio connectitur cum epiclesi consecratoria in qua petitur ut Spiritus sanctificet dona.

c. Uti fructus huius receptionis Spiritus Sancti in communione notantur in specie: (I) corpus mysticum; (II) sacrificium spirituale quo Ecclesia discit seipsam offerre cum Christo in oblatione.

d. Oratio terminatur cum conceptu hereditatis caelestis quasi ultimus terminus ad quem ducit communio. Hoc modo habetur connexus aptus cum subsequenti oratione in qua fit commemoratio Sanctorum.

7. Commemoratio sanctorum (n.VII) introducit per conceptum hereditatis caelestis quam cupimus habere una cum ipsis. Sicut in anaphora byzantina S. Basilii et sicut in eadem anaphora ponitur ante intercessionem pro hominibus, servatur conceptus de meritis et intercessione Sanctorum. Enumeratio vero ipsorum est consulto valde sobria.

8. Intercessionem pro iis pro quibus offertur sacrificium (n.VIII) consulto etiam modo sobrio exprimuntur et extenduntur non solum ad fideles sed etiam ad omnes homines quos Deus creavit.

9. Natura biblica et traditionalis textus proposit illustratur speciali appendice.

In pago Nemorensi, die 12, m. Martii, 1967

P. Cyrrprianus Vaggagini, O.S.B.

P R E X E U C H A R I S T I C A I I I

I

VERE DIGNUM Sanctus....Hosanna in excelsis

II

- 1 VERE SANCTUS es Domine
- 2 et merito te laudat omnis a te condita creatura
- 3 quia, per Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum,
- 4 in infusione Spiritus Sancti,
- 5 vivificas et sanctificas universa
- 6 et tibi populum congregare non desinis
- 7 qui a solis ortu usque ad occasum
- 8 oblationem mundam offerat nomini tuo.

III

- 9 SUPPLICES, ERGO, te, Domine, deprecamur
- 10 ut haec munera quae tibi sacrandae detulimus
- 11 eodem Spiritu sanctificare digneris
- 12 quo corpus et sanguis fiant
- 13 Filii tui Domini nostri Iesu Christi
- 14 cuius mandato haec mysteria celebramus.

IV

- 15 IPSE ENIM, cum se erat traditurus in mortem
- 16 accepit panem et, tibi gratias agens, benedixit,
- 17 fregit, deditque discipulis suis dicens:
- 18 Accipite et manducate ex hoc omnes:
- 19 hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur.
- 20 Simili modo, postquam cenatum est,
- 21 accipiens calicem et tibi gratias agens, benedixit
- 22 deditque discipulis suis dicens:
- 23 Accipite et bibite ex eo omnes:
- 24 hic est enim calix novi testamenti in sanguine meo
- 25 qui pro vobis et pro multis effundetur
- 26 in remissionem peccatorum.
- 27 Hoc facite in meam commemorationem.

(Hic acclamatio populi)

Diversae propositiones pro numeris V et VI

PROPOSITIO PRIMA

V

28 MEMORES IGITUR, Domine,
29 eiusdem Filii tui salutiferae passionis
30 necnon mirabilis resurrectionis et ascensionis in caelum
31 sed et alterum adventum eius praestolantes,
32 offerimus tibi, gratias agentes, hanc Hostiam salutarem
33 in sacrificium vivum et sanctum
34 ac nosmetipsos cum Ea et omnia nostra
35 quia tui sumus et tua sunt universa.

VI

36 QUAESUMUS, DOMINE sempiternae,
37 ut in oblationem Ecclesiae tuae benignus aspicias
38 et fac ut qui corpore et sanguine Filii tui reficimur
39 Sancto ipius Spiritu repleamur
40 et unum corpus et unus spiritus efficiamur in eo
41 ut cum electis tuis hereditatem consequamur.

PROPOSITIO SECUNDA

V

28 MEMORES IGITUR, Domine,
29 eiusdem Filii tui salutiferae passionis
30 necnon mirabilis resurrectionis et ascensionis in caelum
31 sed et alterum adventum eius praestolantes,
32 offerimus tibi, gratias agentes, hanc Hostiam salutarem
33 in sacrificium vivum et sanctum.

VI

34 AGNOSCE, QUAESUMUS, Victimam cuius voluisti intercessione placari
35 et in oblationem Ecclesiae tuae benignus aspicias
36 ut qui corpore et sanguine Filii tui reficimur
37 Sancto ipsius Spiritu repleamur
38 et unum corpus et unus spiritus efficiamur in eo.
39 Ita tibi munus aeternum nos ille perficiat
40 ut cum electis tuis hereditatem consequamur.

PROPOSITIO TERTIA

V

28 MEMORES IGITUR, Domine,
29 eiusdem Filii tui salutiferae passionis
30 necnon mirabilis resurrectionis et ascensionis in caelum
31 sed et alterum adventum eius praestolantes,
32 offerimus tibi, gratias agentes, hanc Hostiam salutarem
33 in sacrificium vivum et sanctum.

VI

34 IN OBLATIONEM ECCLESIAE TUAE benignus aspicias
35 et fac ut qui corpore et sanguine Filii tui reficimur
36 Sancto ipsius Spiritu repleamur.
37 Unum corpus et unus spiritus, quaesumus, efficiamur in eo
38 et cum Christo nosmetipsos tibi discamus offerre
39 ut cum electis tuis hereditatem consequamur.

PROPOSITIO QUARTA

V

28 MEMORES IGITUR, Domine,
29 eiusdem Filii tui salutifere passionis
30 necnon mirabilis resurrectionis et ascensionis in caelum
31 sed et alterum adventum eius praestolantes,
32 offerimus tibi, gratias agentes, hanc Hostiam salutarem
33 in sacrificium vivum et sanctum.

VI

34 AGNOSCE, QUAESUMUS, Victimam cuius voluisti intercessione placari
35 et in oblationem Ecclesiae tuae benignus aspicias
36 ut qui corpore et sanguine Filii tui reficimur
37 Sancto ipsius Spiritus repleamur
38 et unum corpus et unus spiritus efficiamur in eo.
39 Quia tui sumus et tua sunt universa
40 nosmetipsos cum Christo tibi perface munus aeternum
41 ut cum electis tuis hereditatem consequamur.

VII

42 IN PRIMIS cum beatissima Virgine, Dei Genitrice Maria,
43 cum beatis Apostolis tuis et gloriosis martyribus
44 (cum Sancto N.) et omnibus Sanctis
45 quorum meritis et intercessione perpetuo apud te confidimus
adiuvari.

VIII

46 MEMENTO, DOMINE, Ecclesiae tuae a Te peregrinantis in terra
47 pro qua tibi hanc Hostiam placationis offerimus.
48 Illam in tua charitate firmare digneris
4 cum famulo tuo Papa nostro N., et antistite nostro N.,
50 cum episcoporum ordine universo
51 et omni populo acquisitionis sanctae tuae.
52 Votis huius familiae, quam tibi astare voluisti
53 quaesumus, adesto propitius
54 et omnes quos creasti
55 tibi, clemens Pater, miseratus, coninge.
56 Fideles qui in Christo dormierunt
57 in regnum tuum benignus admitte
58 quo speramus simul gloria tua perenniter saluari.

IX

59 PER CHRISTUM, Dominum nostrum,
60 per quem mundo omnia bona largiris,
61 per ipsum, cum ipso et in ipso
62 est, Tibi Deo Patri omnipotenti,
63 in unitate Spiritus Sancti,
64 omnis honor et gloria,
65 per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

EXPLICATIO DE DIVERSIS PROPOSITIONIBUS PRO NUMERIS V ET VI

Coetus X statuit ut conceptus qui continetur in propositione prima n. 34 et 35 (ac nosmetipsos cum Ea et omnia nostra, quia tui sumus et tua sunt universa) in textu servaretur. Quoad locum autem maior pars voluit ut conceptus ille non exprimeretur in n. V, i.e. in anamnesi, sed in n. VI, i.e. in oratione pro commendatione oblationis et pro communione fructuosa, et hoc, pro opportunitate, sive plus minusve ad modum propositionis tertiae, sive ad modum propositionis quartae.

Contra inclusionem illius conceptus in numero V (sive in anamnesi) dictum est: 1) non esse aliquid novi; 2) hoc modo nimis oblationem Christi et oblationem nostram apparere positas quasi in eodem plano; 3) propositionem illam non favere dialogo oecumenico.

Obsequens desiderio coetus, redactor conatus est conceptum illum includere in n. VI sive ut in propositione tertia sive ut in propositione quarta.

Attamen re accuratius considerata redactor censet propositionem primam esse longe meliorem, ex sequentibus rationibus:

1. Accuratius considerando traditionem liturgicam apparet expressionem conceptus qui habetur in propositione prima n. 34-35 (... offerimus...hanc Hostiam...ac nosmetipsos in ea quia tui sumus et tua sunt universa) in ipsa anamnesi non esse novitatem. Continetur implicite in multis liturgiis, incluso canone romano, sub conceptu ...offerimus tibi, hanc Hostiam de tuis donis ac datis.

Ideo numeri 34 et 35 in propositione prima possunt considerari ut explicitatio nostris temporibus apta conceptus inclusi in ... de tuis donis ac datis.

2. Sub aspectu theologico res nullam difficultatem patitur, quia conceptus iste, iterum iterumque explicitatur etiam in documentis Concilii Vaticani II. Vide in specie Constitutionem de sacra Liturgia, art. 48 et Const. Lumen Gentium, art. 11: Fideles "Sacrificium eucharisticum, totius vitae christianae fontem et culmen, participantes, divinam Victimam Deo offerunt atque seipsos cum Ea (cf. Mediator Dei, AAS 39/1947/praesertim p. 552 s.); ita tum

oblatione tum sacra communione, non promiscue sed alii aliter, omnes in liturgica actione partem propriam habent". Porro actio offerendi Victimam in Missa est proprie anamnesis. Ita habetur in Decreto de Presbyterorum vita et ministerio, art. 5: "Edocent igitur Presbyteri fideles divinam Victimam in Sacrificio Missae Patri offerre atque cum ea oblationem vitae suae facere".

Oblatio Victimae iterum, est anamnesis non in oratione sequenti quae est commendatio oblationis et oratio pro communione fructuosa.

3. Sub apsectu oecumenico conceptus expressus in propositione prima sub numeris 34-35 videtur non obstare, sed e contra favere. Nam in genere protestantes asserunt sacrificium in Missa nos offerre unice quatenus nos ipsos Deo offerimus. Catholici autem asserunt nos etiam, immo primarie, ipsum Christum offerre, sed ita tamen ut eum non possimus offerre (et ideo ipsius sacrificium nostrum facere) nisi quatenus, consentientes intentioni Christi qui seipsum offert Patri et cum ipso offert nos et totum mundum, nos ipsos Deo cum Christo offerimus: quod exprimitur in n. 34 et 35 propositionis primae.

4. Propositiones secunda et tertia et quarta difficultatibus non parvis ansam praebent. a) In propositione secunda, in n. VI, n. 34 (Agnosce Victimam...) non placet, primo propter expressionem Victimam quae non est bonae traditionis liturgicae et nimirum sapit aspectum cruentum qui in Missa non adest, ac difficultates maiores parit in nostris relationibus cum protestantibus; secundo quia conceptus numeri 34 repetitur in n. 35.

Propositiones tertia et quarta videntur nimis complicatae quia volunt nimis dicere, quod nocet simplicitati et virtuti catecheticae.

5. Propositio prima videtur clarior et simplicior.

IX

59 PER CHRISTUM, Dominum nostrum,
60 per quem mundo omnia bona largiris,
61 per ipsum, cum ipso et in ipso
62 est, tibi Deo Patri omnipotenti,
63 in unitate Spiritus Sancti,
64 omnis honor et gloria,
65 per omnia saecula saeculorum. R. Amen

V

28 MEMORES IGITUR, Domine,
 29 eiusdem Filii tui salutiferae passionis
 30 necnon mirabilis resurrectionis et ascensionis in caelum
 31 sed et alterum adventum eius praestolantes,
 32 offerimus tibi gratias agentes
 33 hoc sacrificium vivum et sanctum.

VI

34 AGNOSCE, QUAESUMUS, Hostiam cuius voluisti immolatione placari
 35 et respice in oblationem Ecclesiae tuae
 36 ut qui corpore et sanguine Filii tui reficimur
 37 Spiritu Sancto repleti
 38 unum corpus et unus spiritus efficiamur in Christo.
 39 Quia tui sumus et tua sunt universa
 40 ipse nos tibi perficiat manus aeternum
 41 ut cum electis tuis hereditatem consequamur.

VII

42 IN PRIMIS cum beatissima Virgine, Dei Genitrice Maria,
 43 cum beatis Apostolis tuis et gloriosis martyribus
 44 (cum Sancto N.) et omnibus Sanctis
 45 quorum meritis et intercessione perpetuo apud te confidimus
 adiuvari.

VIII

46 MEMENTO, DOMINE, Ecclesiae tuae peregrinantis in terra
 47 pro qua tibi hanc Hostiam placationis offerimus.
 48 Illam in tua charitate firmare digneris
 49 cum famulo tuo Papa nostro N. et antistite nostro N.,
 50 cum episcoporum ordine universo
 51 et omni populo acquisitionis tuae.
 52 Votis huius familiae, quam tibi adstare voluisti,
 53 quaesumus, adesto propitius
 54 et omnes quos creasti
 55 tibi, clemens Pater, miseratus, coniunge.
 56 Fideles qui in Christo dormierunt
 57 in regnum tuum benignus admitte
 58 ubi speramus simul gloria tua perenniter satiari.

P R E X E U C H A R I S T I C A I I I

-Textus emendatus-

I

VERE DIGNUM...Hosanna in excelsis.

II

- 1 VERE SANCTUS es Domine
2 et merito te laudat omnis a te condita creatura
3 quia, per Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum,
4 Spiritus Sancti operante virtute,
5 vivificas et sanctificas universa
6 et tibi populum congregare non desinis
7 ut a solis ortu usque ad occasum
8 oblatio manda offeratur nomini tuo.

III

- 9 SUPPLICES, ERGO, te, Domine, deprecamur
10 ut haec munera quae tibi sacrandae detulimus
11 eodem Spiritu sanctificare digneris
12 quo corpus et sanguis fiant
13 Filii tui Domini nostri Iesu Christi
14 cuius mandato haec mysteria celebramus.

IV

- 15 IPSE ENIM, cum se traditurus esset in mortem,
16 accepit panem et, tibi gratias agens, benedixit,
17 fregit, deditque discipulis suis dicens:
18 Accipite et manducate ex hoc omnes:
19 hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur.
20 Simili modo, postquam cenatum est,
21 accipiens calicem et tibi gratias agens, benedixit
22 deditque discipulis suis dicens:
23 Accipite et bibite ex eo omnes:
24 hic est enim calix novi testamenti in sanguine meo
25 qui pro vobis et pro multis effundetur
26 in remissionem peccatorum.
27 Hoc facite in meam commemorationem.
(Hic adclamatio populi)

PREX EUCHARISTICA II BREVIOR

- 1 Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,
2 nos tibi, sancte Pater, semper et ubique gratias agere
3 per dilectum Filium tuum Iesum Christum,
4 Verbum tuum per quod cuncta fecisti,
5 quem misisti nobis Salvatorem et Redemptorem,
6 incarnatum de Spiritu Sancto, et e Virgine natum.
7 Qui voluntatem tuam complens
8 et acquirens tibi populum sanctum,
9 extendit manus cum pateretur,
10 ut mortem solveret et resurrectionem manifestaret.
11 Et ideo cum angelis et omnibus sanctis
12 gloriam tuam praedicamus dicentes:
13 SANCTUS...HOSANNA IN EXCELSIS.
14 Vere sanctus es, Domine, fons omnis sanctitatis.
15 Haec ergo dona quaesumus
16 Spiritus tui rore sanctifica,
17 quo nobis corpus et sanguis fiant Domini nostri Iesu Christi.
18 Qui cum Passioni voluntariae traderetur,
19 accepit panem et gratias agens fregit, deditque discipulis suis dicens:
20 ACCIPITE ET MANDUCATE: HOC EST ENIM CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS TRADETUR
21 Simili modo, postquam cenatum est, accipiens et calicem,
22 iterum gratias agens dedit discipulis suis dicens:
23 ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES:
24 HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI,
25 QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.
26 HAEC QUOTIESCUMQUE FECERITIS IN MEI MEMORIAM FACIETIS.
27 Populus: Mortem tuam annuntiamus, Domine,
et Resurrectionem tuam confitemur donec venias.
28 Memores igitur mortis et resurrectionis eius,
29 tibi panem vitae et calicem salutis offerimus,
30 gratias tibi agentes quia nos dignos habuisti adstare coram te et
tibi ministrare.
31 Et supplices deprecamur
32 ut corporis et sanguinis Christi participes
33 a Spiritu Sancto in unum congregemur.
34 Recordare, Domine, Ecclesiae tuae toto orbe diffusae,
35 ut eam in caritate perficias
36 una cum papa nostro et episcopo nostro N.
37 Memento etiam illorum qui iam in spe resurrectionis dormierunt.
38 Omnium nostrum, quaesumus, miserere,
39 ut cum beata Dei Genetrice Maria, beatis Apostolis,
40 et omnibus Sanctis qui tibi a saeculo placuerunt,
41 aeternae vitae consortes esse mereamur
42 et te laudemus et glorificemus
43 per Filium tuum Iesum Christum.
44 Per quem tibi gloria et honor
45 cum Sancto Spiritu in Ecclesia
46 nunc et in saecula saeculorum.
AMEN.

ANAPHORA S. BASILII ALEXANDRINA

Relatio

Anaphora S. Basilii alexandrina proponitur a Coetu X "De Ordine Missae", ut introducatur in liturgia romana, ut exemplum praeclarum traditionis orientalis. Duplex consideratio iustificat talem propositionem:

1. In hodierna renovatione liturgica multi sunt, in Ecclesia latina, qui recte desiderant precem eucharisticam ubi adsit:

a) plena expressio gratiarum actionis pro tota oeconomia tum creationis cum redemptionis in Christo,

b) cum dilucida expositione omnium elementorum essentialium precis eucharisticae traditionalis;

c) in formula quae sit simul biblica atque adaptata necessitatibus catecheseos. Omnia haec videntur coniunctim inveniri in hoc textu, magis forsitan quam in omnibus ceteris traditionis antiquissimae.

2. Aliunde, introductio huius textus in traditione liturgica occidentali esset maioris (immo maximi) momenti pro oecumenismo. Nullus etenim textus existit qui tali popularitate gavisus sit in oriente christiano. Nunc adhibetur, sicut hic proponitur, scilicet in antiquissima recensione, in Ecclesia Coptica, atque, in recensione recentiori longiorique, in omnibus Ecclesiis byzantinis, tam graecorum quam omnium slavonarum nationum. In eadem forma iam habetur in Ecclesia catholica, tam apud ucranianos quam apud melchitas, necnon, in praevia forma, apud copticos.

In praeviis saeculis usus eius fuit receptus ab omnibus fere Ecclesiis orientalium, in Armenia, Georgia, Syria, etc..

Nulla prex eucharistica nunc existit cuius materia vel progressus sit d lucidior:

a) gratiarum actio pro opere creationis (usque ad Sanctus)

b) gratiarum actio pro tota historia salutis, usque ad incarnationem redemptivam;

c) verba sacra institutionis (connexa cum gratiarum actione per evocationem "mysterii" paulini) in formula syntetica omnium quae reperiuntur in Novo Testamento;

d) plena anamnesis operis redemptionis inducens expressionem oblationis incruentae divini sacrificii in verbis plene consonantibus cum sacra Scriptura;

e) perantiqua epiclesis in qua Spiritus Sanctus invocatur ut, cum consecratio fit eucharistica, sanctificatio fiat offerentium, quae eos perducatur, in uno corpore et uno Spiritu, ad plenitudinem Regni Dei et glorificationis totius sanctissimae Trinitatis;

f) intercessio vere universalis, quamquam brevis, ita ut omnes congregentur in hac aedificatione corporis Christi et populi Dei;

g) magna doxologia recapitulationis in fine.

Attamen sunt nonnulli theologi qui obiectant, adversus introductionem huius textus, ut stat, in liturgia romana, quod epiclesis ad consecrationem petendam hic (ut in omnibus liturgiis e traditione syriaca occidentali) invenitur post verba sacra, ac non antea (ut fit cum prece Quam oblationem in Canone romano).

Sed contra:

1) debemus considerare quod nulla oppositio theologica potest hic valere, cum tam hic textus quam multi alii eiusdem traditionis iam nunc admittuntur ab Ecclesia catholica pro orientalibus, ac multae adsunt sententiae sollemnes SS. Pontificum quae non modo agnoscunt plenam orthodoxiam horum textuum sed etiam proclamant momentum complementaritatis traditionum tum orientalium cum occidentalium de sanctissima Eucharistia, ita ut quicumque praesumpserit parem valorem liturgiarum orientalium negare vel in dubium ponere, negaverit ipsa dicta Summorum Pontificum.

2) Neque possumus oblivisci quod, non modo preces eucharisticae eiusdem indolis fuerunt communes in praeteritis saeculis in ipsa Ecclesia latina, tum in ritibus antiquae Ecclesiae gallicanae cum in iis Ecclesiarum Hispaniae et Hiberniae, sed iam nunc adhuc tales preces eucharisticae, nempe cum epiclesi ad consecrationem post verba sancta, remanent in usu hodierno Ecclesiarum ubi fit liturgia secundum ritum mozarabicum a Sancta Sede approbatum.

3) Si quaestio urgitur de adoratione facienda erga species sacras in hac prece, melius esset hanc retinere in fine tantum totius precis eucharisticae, cum plena expressio intentionis Ecclesiae utentis verbis divinis non iam fit perfecte dilucida ante quam hic pervenitur, in precibus huius traditionis orientalis. Hoc faciendo nil tamen praeiudicatur de quaestione momenti theologici epicleseos seorsim sumptae, sed tantum clarius fieret quod intentio Ecclesiae utentis verbis divinis, hic ut in Canone romano, exprimitur in prece cum qua haec verba coniunguntur inseparabiliter in sacra actione.

ANAPHORA SANCTI BASILII ALEXANDRINA

1. Vere dignum
2. Dominator Domine, qui eras ante saecula
3. et regnas in aeternum,
4. qui in excelsis habitas et humilia respicis,
5. qui caelum et terram et cuncta quae sunt in eis fecisti.
6. Pater Domini, Dei ac Salvatoris nostri Iesu Christi,
7. per quem visibilia et invisibilia condidisti
8. qui super solium gloriae regni tui sedens
9. in saecula ab universis caeli virtutibus adoraris.
10. Coram te enim adstant angeli et archangeli,
11. principatus et potestates,
12. throni, dominationes et virtutes.
13. Te circumdant Cherubim ac Seraphim
14. et hymnum gloriae tuae concinunt sine fine dicentes:
15. Sanctus
16. Vere sanctus es, Domine Deus noster,
17. qui nos e limo terrae plasmasti
18. et in paradiso felicitatis collocasti.
19. Postquam vero, diabolica fraude,
20. praecepta tua violantes ab aeterna vita decidimus
21. et e paradiso felicitatis sumus eiecti,
22. non tamen repulisti nos usque in finem,
23. sed per sanctos prophetas tuos nos visitare non destitisti.
24. Novissime autem, diebus istis,
25. nobis in tenebris et umbra mortis sedentibus,
26. per Filium tuum Dominum nostrum manifestare dignatus es.
27. Qui ex Spiritu Sancto et sancta Dei genitrice
28. semperque virgine Maria carnem assumpsit.

29. et homo factus viam salutis aeternae nobis ostendit,
30. dum caelestis regenerationis gratia nos donavit
31. et in populum peculiarem Spiritus tui dono nos acquisivit.

32. Qui suos in mundo degentes in finem dilexit
33. et in redemptionem morti regnanti se tradidit,
34. a qua sub peccato venundati tenebamur,
35. Per crucem enim ad inferos descendens
36. tertia die a mortuis resurrexit,
37. et in caelos ascendens ad dexteram Patris sedit,
38. diemque retributionis definivit,
39. qua manifeste veniet mundum in iustitia iudicare,
40. unicuique secundum eius opera redditurus.

41. Reliquit autem nobis hoc magnum pietatis mysterium.
42. Cum enim semetipsum pro mundi vita traditurus esset ad mortem,
43. accepit panem in sanctas,
44. immaculatas ac beatas manus suas,
45. et elevatis oculis in caelum
46. ad te, Patrem suum, Deum nostrum et Deum universorum,
47. gratias agens
48. benedixit, sanctificavit
49. deditque discipulis et apostolis suis dicens:
50. Accipite, manducate, hoc est Corpus meum,
51. quod pro vobis et pro multis confringetur
52. in remissionem peccatorum,
53. Hoc facite in mei memoriam.

54. Similiter et calicem, postquam cenatum est,
55. gratias agens, benedixit, sanctificavit,
56. deditque discipulis et apostolis suis dicens:
57. Accipite, bibite ex hoc omnes:
58. hic est Sanguis meus, novi testamenti,
59. qui pro vobis et pro multis effundetur
60. in remissionem peccatorum.

61. Hoc facite in mei memoriam.
62. Quoiescumque enim manducabitis hunc panem
63. et bibetis hunc calicem, mortem meam annuntiate
64. et resurrectionem meam confitemini donec veniam,
65. (Populus: Mortem tuam annuntiamus et resurrectionem tuam confitemur)
66. Memores igitur et nos eius sanctae passionis,
67. resurrectionis a mortuis,

68. ascensionis in caelum
69. et sessionis ad dexteram Patris,
70. necnon et eius adventus in gloria,
71. tibi de tuis donis offerentes
72. per omnia et in omnibus te laudamus,
73. te benedicimus
74. Et oramus te, Domine, et precamur,
75. hominum amator benigne,
76. nos servi tui, indigni ac peccatores,
77. et adorantes te supplicamus ut, tuae beneplacito pietatis,
78. veniat Spiritus tuus sanctus
79. super nos et super haec dona proposita,
80. et ea sanctificet,
81. atque sancta sanctorum perficiat.
82. Nobis etiam tribue, Domine,
83. sic tuo sacro communicare mysterio
84. ut simul anima sanctificemur et corpore,
85. quatenus unum corpus et unus spiritus iam effecti,
86. partem et hereditatem habere mereamur,
87. cum omnibus sanctis tuis,
88. qui tibi a saeculo placuerunt.
89. in primis cum beata virgine Maria et sanctis apostolis
90. qui Ecclesiam tuam in omni loco fundaverunt.

Preces intercessionis :

1. Memento, Domine, Ecclesiae tuae sanctae,
2. a termino usque ad terminum caeli diffusae,
3. et eam custodire digneris,
4. quam acquisivisti sanguine Filii tui pretioso.
5. Memento in primis beatissimi Papae nostri
6. et antistitis nostri,
7. cum omnibus episcopis, prebyteris et diaconis,
8. et eos in verbi veritatis ministerio ac in munere
9. populi tui pascendi conservare digneris.
10. Memento, Domine, famulorum tuorum
11. qui munera obtulerunt et populi circumstantis:
12. gaudio tuo corda eorum adimple,
13. ut in omnibus sufficientiam habentes,

14. in omne opus bonum abundant.
15. Memento etiam, Domine, famulorum tuorum
16. qui in spe resurrectionis vitae aeternae iam dormierunt,
17. et illos lumine vultus tui reficere digneris.
18. Nos quoque cum omnibus fidelibus in hoc mundo degentibus,
19. in tua fide custodi
20. et in viam regni tui sic dirige,
21. ut semper et in omnibus
22. glorificetur et exaltetur nomen sanctum tuum
23. cum Christo et Spiritu sancto
24. per omnia saecula saeculorum.

vel :

22. glorificetur et exaltetur
23. nomen sanctum Patris et Filii et Spiritus Sancti
24. per omnia saecula saeculorum.



CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

13 Aprilis 1967

schemata n.218

De Missali 34-Addendum I

PRECES EUCHARISTICAE

Textus emendatus

PREX EUCHARISTICA II

seu brevior

Placet 31

*Placet in sola missam 3**

-Haec prex eucharistica semper adhiberi potest. Si vero adhibetur diebus qui praefatione propria fruuntur, hoc fieri debet cum praefatione his diebus adsignata. - *Non placet: [Nemo]*

- 1 Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,
- 2 nos tibi, sancte Pater, semper et ubique gratias agere
- 3 per Filium dilectionis tuae Iesum Christum,
- 4 Verbum tuum per quod cuncta fecisti,
- 5 quem misisti nobis Salvatorem et Redemptorem,
- 6 incarnatum de Spiritu Sancto et ex Virgine natum.
- 7 Qui voluntatem tuam complens
- 8 et acquirens tibi populum sanctum,
- 9 extendit manus cum pateretur,
- 10 ut mortem solveret et resurrectionem manifestaret.
- 11 Et ideo cum angelis et omnibus sanctis
- 12 gloriam tuam praedicamus dicentes:
- 13 Sanctus... Hosanna in excelsis.
- 14 Vere sanctus es, Domine, fons omnis sanctitatis;

** a sepe in his
memoratio
b) Filii hominum
Pater noster dicere
c) Omnipotens qui
patet*

15 haec ergo dona, quaesumus, *Non est formula Oratio; in linguis*
 16 Spiritus tui rore sanctifica, *vernaculis diffinitas pariet;*
 17 quo n obis corpus et sanguis fiant Domini nostri Iesu Christi.
 18 Qui cum passioni voluntariae traderetur,
 19 accepit panem et gratias agens fregit, deditque discipulis suis/ *dicens:*
 20 Accipite et manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.
 21 Simili modo, postquam cenatum est, accipiens/ *et* calicem,
 22 iterum gratias agens dedit discipulis suis dicens:
 23 Accipite et bibite ex eo omnes:
 24 hic est enim calix novi Testamenti in sanguine meo,
 25 qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.
 26 Hoc facite in meam commemorationem.

/Hic fit acclamatio populi, his vel similibus verbis
 ab auctoritate territoriali approbatis:/

27 Mortem tuam annuntiamus, Domine,
 28 et resurrectionem tuam confitemur donec venias.
 29 Memores igitur mortis et resurrectionis eius,
 30 tibi panem vitae et calicem salutis offerimus,
 31 gratias agentes quia nos dignos habuisti adstare coram te et
 32 Et supplices deprecamur *tibi ministrare.*
 33 ut corporis et sanguinis Christi participes
 34 a Spiritu Sancto congregamur in unum.
 35 Recordare, Domine, Ecclesiae tuae toto orbe diffusae,
 36 ut eam in caritate perficias
 37 una cum Papa nostro N. et episcopo nostro N.
 38 Memento etiam fratrum nostrorum
 39 qui iam in spe resurrectionis dormierunt
 40 omniumque defunctorum /hic potest fieri pausa brevis *orationis in*
 41 et eos in lumen tui vultus admitte. *silentio/*

↓
*Ubi est pausa
 pro vivis?*

42 Omnium nostrum, quaesumus, miserere,
 43 ut cum beata Dei Genitrice Maria, beatis Apostolis
 44 et omnibus sanctis qui tibi a saeculo placuerunt,
 45 aeternae vitae mereamur esse cononsortes
 46 et laudemus et glorificemus
 47 per Filium tuum Iesum Christum.
 48 Per quem tibi gloria et honor
 49 cum Sancto Spiritu in Ecclesia
 50 nunc et in saecula saeculorum. Amen.

P R E X E U C H A R I S T I C A I I I

-Haec prex eucharistica potest semper adhiberi-

I

VERE DIGNUM...Hosanna in excelsis.

II

1 VERE SANCTUS es Domine
 2 et merito te laudat omnis a te condita creatura
 3 quia, per Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum,
 4 Spiritus Sancti operante virtute,
 5 vivificas et sanctificas universa
 6 et tibi populum congregare non desinis
 7 ut a solis ortu usque ad occasum
 8 oblatio munda offeratur nomini tuo.

III

9 SUPPLICES ERGO te Domine deprecamur
 10 ut haec munera quae tibi sacrandae detulimus
 11 eodem Spiritu sanctificare digneris
 12 ut corpus et sanguis fiant
 13 Filii tui Domini nostri Iesu Christi
 14 cuius mandato haec mysteria celebramus

IV

- 15 IPSE ENIM,cum se traditurus esset in mortem,
 16 accepit panem et tibi gratias agens benedixit,
 17 fregit,deditque discipulis suis dicens:
 18 Accipite et manducate ex hoc omnes:
 19 hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur.
 20 Simili modo,postquam cenatum est,
 21 accipiens calicem et tibi gratias agens,benedixit
 22 deditque discipulis suis dicens:
 23 Accipite et bibite ex eo omnes:
 24 hic est enim calix novi testamenti in sanguine meo
 25 qui pro vobis et pro multis effundetur
 26 in remissionem peccatorum.
 27 Hoc facite in meam commemorationem.

(Hic fit acclamatio populi his vel similibus verbis
 ab auctoritate territoriali approbatis:)

- 28 Mortem tuam annuntiamus Domine
 29 et resurrectionem tuam confitemur donec venias.

V

- 30 MEMORES IGITUR,Domine,
 31 eiusdem Filii tui salutiferae passionis
 32 necnon mirabilis resurrectionis et ascensionis in caelum
 33 sed et praestolantes alterum eius adventum
 34 offerimus tibi gratias referentes
 35 hoc sacrificium vivum et sanctum.

VI

- 36 RESPICE,QUAESUMUS,in oblationem Ecclesiae tuae
 37 et agnoscens Hostiam cuius voluisti immolatione placari
 38 concede ut qui corpore et sanguine Filii tui reficimus,
 39 Spiritu Sancto repleti,
 40 unum corpus et unus spiritus efficiamur in Christo.
 41 Ipse nos tibi perficiat munus aeternum
 42 ut cum electis tuis hereditatem consequi valeamus

VII

43 in primis cum beatissima Virgine, Dei Genitrice, Maria,
44 cum beatis Apostolis tuis et gloriosis martyribus
45 (cum Sancto N./sanctus diei vel patronus/) et omnibus Sanctis
46 quorum meritis et intercessione perpetuo apud te confidimus adiuvari.

VIII

47 HAEC HOSTIA nostrae reconciliationis proficiat, quaesumus Domine,
48 ad totius mundi pacem atque salutem.
49 Ecclesiam tuam peregrinantem in terra
50 in tua caritate firmare digneris
51 cum famulo tuo, Papa nostro N. et episcopo nostro N.,
52 cum episcopali ordine universo
53 et omni populo acquisitionis tuae.
54 Votis huius familiae, quam tibi dastare voluisti, adesto propitius.
55 Omnes filios tuos ubique dispersos
56 tibi, clemens Pater, miseratus coniunge.
57 Fratres nostros defunctos
58 et omnes qui ex hoc saeculo transierunt
59 quaerentes faciem Christi tui
60 in regnum tuum benignus admitte
61 ubi speramus simul gloria tua perenniter satiari.

IX

62 PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM,
63 per quem mundo omnia bona largiris;
64 per ipsum et cum ipso et in ipso
65 est tibi Deo Patri omnipotenti,
66 in unitate Spiritus Sancti,
67 omnis honor et gloria,
68 per omnia saecula saeculorum. Amen.

P R E X E U C H A R I S T I C A I V

-Haec prex eucharistica adhiberi potest feriis et Dominicis per annum necnon aliis diebus qui praefatione propria non gaudent-.

I

- 1 VERE DIGNUM EST tibi gratias agere
- 2 vere iustum est te glorificare, Pater sancte,
- 3 quia solus es Deus vivus et verus
- 4 qui es ante saecula et permanes in aeternum
- 5 inaccessibilem lucem inhabitans.
- 6 Sed et bonus ac fons vitae, cuncta fecisti
- 7 ut creaturas tuas benedictionibus adimpleres
- 8 multosque laetificares tui luminis claritate.
- 9 Et ideo coram te innumerae turbae stant angelorum
- 10 qui tibi serviunt et, vultus tui gloriam contemplantes,
- 11 te, die ac nocte, incessanter glorificant.
- 12 Cum quibus et nos, et, per nostram vocem,
- 13 omnis creatura quae sub caelo est
- 14 nomen tuum in exultatione confitemur canentes:
- 15 Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth,
- 16 pleni sunt caeli et terra gloria tua,
- 17 Hosanna in excelsis, .
- 18 Benedictus qui venit in nomine Domini,
- 19 Hosanna in excelsis.

II

- 20 CONFITEMUR TIBI, Pater sancte,
- 21 quia magnus es et omnia opera tua
- 22 in sapientia et caritate fecisti.
- 23 Hominem ad tuam imaginem condidisti
- 24 ei que commisisti mundi curam universi

25 ut, tibi creatori serviens, creaturis omnibus imperaret.
 26 Et cum amicitiam tuam, non oboediens, amisisset,
 27 non eum dereliquisti in mortis imperio
 28 sed omnibus subvenisti
 29 ut te quaerere si forte et attrectarent.
 30 Sed et foedera pluries hominibus obtulisti
 31 eosque per prophetas erudisti in spe salutis.
 32 Et sic, Pater sancte, mundum hunc dilexisti
 33 ut, completa plenitudine temporum,
 34 Unigenitum tuum nobis mitteres Salvatorem.
 35 Qui, homo factus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,
 36 per omnia, absque peccato,
 37 in nostrae conditionis forma est conversatus,
 38 salutem evangelizavit pauperibus,
 39 redemptionem captivis,
 40 moestis corde laetitiam.
 41 Ut tuam vero dispensationem impleret
 42 in mortem tradidit semetipsum
 43 ac, resurgens a mortuis,
 44 mortem destruxit et vitam renovavit.
 45 Et ut non amplius nobismetipsis vivamus
 46 sed sibi qui pro nobis mortuus est atque surrexit,
 47 a te, Pater, misit Spiritum Sanctum
 48 qui opus suum in mundo perficiens
 49 omnem sanctificationem compleret.

III

50 QUAESULUS IGITUR, Domine, ut idem Spiritus Sanctus
 51 haec munera sanctificare dignetur
 52 ut corpus et sanguis fiant Domini nostri Iesu Christi
 53 ad hoc magnum mysterium celebrandum
 54 quod ipse nobis reliquit in foedus aeternum.

55 IPSE ENIM, cum advenisset iam hora
 56 ut glorificaretur a te, Pater sancte,
 57 ac dilexisset suos qui erant in mundo,
 58 in finem dilexit eos :
 59 et cenentibus illis
 60 accepit panem, benedixit ac fregit,
 61 deditque discipulis suis dicens:
 61 Accipite et manducate:
 62 hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur.
 63 Simili modo, accipiens calicem,
 64 ex genimine vitis repletum,
 65 gratias egit, deditque discipulis suis dicens:
 66 Accipite et bibite:
 67 hic est enim calix novi testamenti in sanguine meo
 68 qui pro vobis et pro multis effundetur
 69 in remissionem peccatorum.
 70 Hoc facite in meam commemorationem.

/hic fit acclamatio populi, sequentibus vel similibus verbis,
 ab auctoritate territoriali approbatis/:

71 Mortem tuam annuntiamus, Domine,
 72 et resurrectionem tuam confitemur, donec venias.

V

73 UNDE ET NOS, Domine, redemptionis nostrae memoriale nunc celebrantes,
 74 mortem Christi eiusque descensum ad inferos recolimus
 75 eius resurrectionem et ascensionem ad tuam dexteram profitemur,
 76 et expectantes ipsius adventum in gloria,
 77 offerimus tibi eius corpus et sanguinem,
 78 sacrificium tibi acceptabile et toti mundo salutare.

79. RESPICIENS ,DOMINE,in Hostiam quam Ecclesiae tuae ipse donasti,
80 praesta benignus iis qui ex hoc uno pane participabunt et calice,
81 ut,in unum corpus a Ancto Spiritu congregati,
82 in Christo hostia viva perficiantur,ad laudem gloriae tuae.

/Pro opportunitate ,hic fieri potest acclamatio populi,

his vel similibus verbis,ab auctoritate territoriali approbatis/:

83 Laudamus te,benedicimus te,glorificamus te.

84 Propitius esto,Domine,et/^{omnium}misereere.

VII

85 NUNC ERGO DOMINE, . . . omnium recordare
86 pro quibus tibi hanc oblationem offerimus:
87 in primis famuli tui,Papae nostri N.,
88 episcopi nostri N. et episcoporum ordinis universi,
89 sed et offerentium et circum adstantium
90 ac cuncti populi tui
91 et omnium qui te quaerunt corde sincero N. et N.
92 Memento etiam illorum qui obierunt in pace Christi tui
93 et omnium defunctorum quorum fidem solus tu cognosvisti N et N.
94 Nobis omnibus,filiis tuis,clmens Pater,concede
95 ut caelestem hereditatem consequi valeamus
96 cum beata Virgine,Dei Genitrice,Maria ,
97 cum Apostolis et sanctis tuis
98 in regno tuo,ubi cum universa creatura
99 a corruptione peccati et mortis liberata,
100 te glorificemus per Christum Dominum nostrum

VIII

101 per quem mundo omnia bona largiris,
102 per ipsum et cum ipso et in ipso
103 est tibi,Deo Patri omnipotenti,
104 in unitate Spiritus Sancti
105 omnis honor et gloria
106 per omnia saecula saeculorum. Amen.
(anaphoram S.Basilii alexandrinam vide in schenato n.218 pp.61-66).



Plene - Sign. de Carolin
12.4.67 h 9.45

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

15 aprilis 1967

Schemata, n. 218

De Missali 34 -Addendum 2

DE VERBIS DOMINI IN INSTITUTIONE EUCHARISTIAE

Propositio Coetus X in ista quaestione facta est non ex conceptibus criticis ipsorum peritorum sed ex instantia plurimorum pastorum, praesertim Episcoporum, totius orbis, sed et presbyterorum. Haec instantia nobis constat sive ex scriptis publicis iuris factis sive ex litteris ad nos missis sive ex colloctionibus hac de re nobiscum factis.

I. Difficultates pastorales quae sentiuntur in formulis Canonis romani.

Ex praedictis instantiis sequentia apparent circa difficultates pastorales quae oriuntur ex formulis Canonis romani in ista materia:

1) in prima consecratione ab omnibus desideratur clausola: "quod pro vobis tradetur", aut aliquid simile. Formula "Hoc est Corpus meum" per se sola nihil aliud dicit nisi praesentiam realem Corporis Domini et nihil innuit de aspectu sacrificali institutionis eucharisticae. Formula "Hoc est Corpus meum" habetur in Marco et Matthaeo. In Paulo habetur: "Hoc est corpus meum quod pro vobis" et Lucas eandem formulam complet: "quod pro vobis datur".

2) In secunda consecratione formula romana est: "Hic est enim calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis".

Circa hanc formulam pastores, passim omnino duas difficultates inveniunt:

a) Incisum: "calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti",

potest significare sive: hic est calix sanguinis mei et novi testamenti; sive: hic est calix sanguinis mei qui est sanguis novi testamenti. Unde difficultates in versionibus et in explanationibus. Gallice, v.g., compulsi sunt ut verterent: "ceci est la coupe de mon sang, le sang du Nouveau Testament, mystère de foi, sang répandu..." etc. Et sic plus minusve in aliis linguis. Hucusque formula dicebatur latine et submissa voce; sed statim ac formula vertitur et dicitur alta voce difficultas oritur non parva.

b) Incisum mysterium fidei: 1. non est biblicum; 2. habetur solum in traditione romana; 3. non est clarae significationis; ipsi periti disputant de origine et de accurato sensu ipsius; 4. interrupt sententiam et difficiliorem reddit intellectum ultimae partis sententiae: "qui pro vobis et pro multis...". Vide supra in versionibus.

*Vas
Zitunt hui
a. B. 1
in B. 1*

II. Potestne difficultas solvi si sumantur simpliciter verba Novi Testamenti?

Hoc non videtur possibile, nam:

1) In Novo Testamento hac de re non datur una formula sed quatuor:

a) Paulus, 1 Cor 11,24 s.: "Hoc est corpus meum quod pro vobis. Hoc facite in meam commemorationem". Lectiones variantes addunt: pro vobis frangitur, vel frangetur; confrigitur, vel confringetur; quod pro vobis datur. Vulgata habet: quod pro vobis tradetur.

Pro sanguine vero: "Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem".

b) Lucas, 22,19 ss.: "Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem...Hic est calix, novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur".

c) Matthaeus 26,26 ss.: "Hoc est corpus meum...Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum".

d) Marcus 14,22 ss.: "Hoc est corpus meum...Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur".

Uti apparet, in quattuor testibus ne una quidem sententia est ex integro communis. Ergo in liturgia oportet aut seligere unum ex his quattuor textibus aut textum compositum efformare. Traditio liturgica iam a primis saeculis processit per viam compositionis et quidem cum magna libertate et varietate.

III. Opinio Coetus *Subcommunionis, vel potius Subcommunionis*

His omnibus perpensis Coetus censet:

1) necesse est ut responsio detur petitioni pastorum quae fiunt ad hoc ut formulae Canonis romani sint clariores et magis completae.

2) Ad hoc vero finem attingendum mutationes quae in formulis Canonis romani necessariae videntur sunt saltem sequentes:

a) ut post verba: "Hoc est enim corpus meum", addatur: "quod pro vobis tradetur";

b) ut in formula romana consecrationis calicis, verba: "mysterium fidei" deleantur.

3) Idem autem ^{Subcommunionis} Coetus censet adhuc meliorem solutionem haberi si textus in ipso Canone romano intactis manentibus, in novis precibus eucharisticis formulae sint sequentes:

- Hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur

- Hic est enim calix novi testamenti in sanguine meo, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Rationes sunt: quia hoc modo habentur formulae completiores; quae, inter alias formulas possibles et traditionales, minoribus indigent explicationibus; et quae facilius linguis modernis vertuntur. Tales formulae habentur etiam in traditione mozarabica.

IV. De verbis: "Hoc facite in meam commemorationem".

Est formula Pauli et Lucae in Vulgata. Marcus et Matthaeus nihil hac de re habent.

Formula Canonis romani: Haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis: 1. non est biblica; 2. hodie facilius intelligi posset de recordatione mere psicologica, dum verbum "commemoratio" facilius innuit sensum de signo obiectivo concreto.

-4-

Suares will, rep with respect
mentibus in ipso Canone
onis,] hae formulae Consecrationis
sticis aliquatenus immu-

- Place 23 Nm place 9

①

- $$\begin{array}{r} 11.106 \\ + 28 \\ - 3 \\ \hline \text{Ans } 2 \end{array}$$

+ 16
15
alt. alt. 1

- Sub Commander
Coatu, nemp

②

17.20
+ 17
13
2

albu 13
2 / a

- $$\begin{array}{r} 15 \\ 14 \\ \hline 29 \end{array}$$

Vagari

Ure est enim Sanguis meus, novum testamenti,
propter peccata et pro multis effusus in
remissionem peccatorum.

der röm. Formel

Drey unvordit in der Bedacht ein elementares
Stille in der ersten Stelle.

Herrn unvordit Drey.

Jung in Kumpen nicht von der Reizgalt
der Dreyer abbl.

Kayser, die Verbindung ^{der Vollen} ist allenthal in der Zeit da.
die unvordit mit der Zeit.

Volle, Kumpen, das auch in vordit kann die
Formel vordit wird.

Jung Schenkheit in der Kumpen, die
auf Formel ~~zug~~ - Jüngling.

Spätes will, das die Änderung auf in einem
Kumpen in vordit wird.

Dreyer auf dem Kom. vordit Jung.

Spätes, die Änderung in Präzision
in Dreyer I

Merkmale in der Bedacht von Galt.

Jung, Jung, das in der Zeit
Oinkeln vordit

Roguel nicht vordit Sg
Borden
vordit Formel und vordit von Jung

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

19 aprilis 1967

Schemata, n. 218

Addendum III
De Rissali 38 bis (nach Nanini)

SECUNDA RELATIO DE FORMULA CONSECRATIONIS IN NOVIS PRECIBUS EUCHARISTICIS

Stante indecisione quae in hac quaestione remansit post votationes factas die 17 huius mensis, coetus X iterum totum problema, secundum vestrum mandatum examini subiecit, et ad sequentes conclusiones devenit:

1. Standum est duabus primis suffragationibus ex quibus constat, secundum maiorem partem patrum:

a) in novis precibus eucharisticis formulas consecrationis debere esse aliquatenus diversas ab illis formulis quae habentur in canone romano et quae, pro nunc, nobis non licet immutare in ipso canone romano.

b) Formulam pro consecratione panis in novis precibus eucharisticis esse: Hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur.

Quaestio quae adhuc remanet respicit unice formulam consecrationis vini semper pro novis precibus eucharisticis, de qua coetus sequentia censuit:

2. Patribus primo proponendam esse quaestionem utrum formula consecrationis vini in tribus novis precibus eucharisticis debeat esse unica pro iisdem tribus precibus. Unde ponitur vobis sequens primum quaesitum

I. PLACETNE UT FORMULA CONSECRATIONIS VINI IN TRIBUS NOVIS PRECIBUS EUCHARISTICIS SIT UNICA?

33
Plenul 31
Nunc 2

Declaratio: Talis quaestio iterum disputata est in Coetu X.

Ex 12 sodalibus 9 responderunt affirmative, confirmantes hoc modo id quod antea iam in ipso coetu X et in coetu relatorum *sta* tutum fuerat; 3 vero sodales responderunt negative, volentes ut in novis precibus formula consecrationis vini possit esse varia.

3) Item coetus X censet, propter hesitationem quorundam, vobis explicite ponendam esse quaestionem de non inserendo in verbis Domini pro consecratione vini additamento mysterium fidei. Inde secundum quaesitum:

II. PLACETNE UT IN FORMULA^M/CONSECRATIONIS VINI PRO NOVIS PRECIBUS EUCHARISTICIS NON INTRODUCATUR ADDITAMENTUM MYSTERIUM FIDEI?

*Suffragantes: 33
Placet: 26
Nim. Placet: 6
alla 1*

Declaratio: Si maior pars patrum respondet placet, tunc fit transitus ad votationem sequentem; si maior pars patrum respondet non placet: tunc ipso facto pro formula consecrationis vini, etiam in novis precibus approbatur ipsa formula canonis romani ut nunc est; si suffragatio nullum exitum definitivum praebet, nihil aliud remanet nisi totam rem Sanctissimo deferre.)

4) Si maior pars patrum praedicto quesito II respondet placet coetus censet nunc vobis ponendam esse quaestionem utrum in formula consecrationis vini, pro novis precibus eucharisticis, retinenda sit vox CALIX.

Inde quaesitum III:

III. PLACETNE UT FORMULA CONSECRATIONIS VINI PRO NOVIS PRECIBUS EUCHARISTICIS ^{Vox Calix} RETINEATUR?

*Suffragantes 33
Placet 28
Nim. Placet 5*

Declaratio:

a) Quaestio posita est in Coetu nostro et exitus suffragationis fuit sequens: ex 12 sodalibus 9 censuerunt vocem calix retinendam esse; 3 responderunt negative;

b) Rationes eorum qui voluerunt ut vox calix retineatur sunt: quia est traditio Pauli et Lucae; quia vox iam habetur in traditione romana et mozarabica; et quia eadem vox calix in ipsis verbis consecrationis et non solum extra ea clarius exprimit relationem praesentiae realis ad communionem et sacrificium. Ratio eorum qui aliter censuerunt fuit quia desiderant ut saltem in una ex novis precibus eucharisticis habeatur textus Marci - Matthaei secundum traditionem quae videtur communis in oriente et quia putant aspectum communionis sufficienter exprimi in verbo "bibite" et aspectum sacrificii in verbo "effundetur".

c) Si praedicto quaesito III maior pars patrum respondet placet, tunc adhuc seligenda erit una ex duabus formulis secundum quaesitum IV uti habetur infra in n. V. Si vero maior pars patrum quaesito III respondet non placet, ipso facto approbatur formula proposita ab Exc.mo Boudon et quae sonat:

Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

d) Si vero suffragatio quaesiti tertii nullum exitum definitum habet nihil remanet nisi ut tota res deferatur Sanctissimo.

5) Si maior pars patrum quaesito III respondit placet, remanet ut patres seligant unam ex sequentibus duabus formulis.

QUAESITUM IV:

Suppression: Formula A: HIC EST ENIM CALIX NOVI TESTAMENTI IN SANGUI-
NE MEO QUI PRO VOBIS ET ^{pro} MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM

Formula B: HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI NOVI ET
AETERNI TESTAMENTI QUI PRO VOBIS ET PRO
MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Patres in folio simpliciter scribant:

"Formula A"

vel "Formula B"

Declaratio: Coetus Ordinis Missae et Coetus relatorum unanimi-
ter censuerunt in casu quo retinenda est vox calix meliorem
formulam esse formulam A.

6) QUAESITUM V:

PLACETNE PATRIBUS UT IN NOVIS PRECIUS EUCHARISTICIS

ULTIMA VERBA DOMINI SINT: "HOC FACITE IN MEAM COMME-

MORATIONEM?

Suppression : 33
Plaut : 28
Non Plaut : 5

Declaratio: Tum Coetus X tum Coetus relatorum **censent** formulam:
Hoc facite in meam commemorationem, quae est formula biblica
(Paulus-Lucas; Matthaeus et Marcus de hac re nihil habent)
melius : . . . exprimere sensum concretum obiectivum et ideo
sacramentalem, et non solum psychologicum, mandati Domini.

Deyl

CONSILIUM AD HANC; HUIUSMODI CONSILII
DE SACRA LITURGIA

Schemata, n. 218
Remissio 34 b. s
(OM, 9)
- Addendum IV
... April 1967

Marini

Coetus X: De Ordine Missae

VARIATIONES IN SCHEMA TRIMUM ORDINIS MISSAE NORMATIVAE (Schema
170 - De Missali 23), INSERENDAE.

1. In relatione de statu laboris coetus X, die 15 mense Martii huius anni in pago Nemi confecta, scripsimus: "Quibusdam in peculiaribus schema perfici potest et forsitan debet, praesertim cum interim definitive a "Consilio" statutum sit, ut tres lectiones biblicae, in schemate ut facultativae provisae, in omnibus dominicis et festivis diebus obligatorie legantur. Quia vero pro tempore problemata urgentiora, uti patet, nos premebant, disputationes respectivas ad finem perducere non potuimus".

2. Durante autem sessione coetus Relatorum, id est ante duas hebdomadas, occasio oblata est disputationem de quibusdam variationibus in schemate Missae normativae opportune inserendis, et in illo coetu Relatorum et in coetu X prolongare et ad finem quaedam perducere; praesertim cum ad nos pervenerint etiam novae observationes scriptim expressae quas expendere potuimus. Ita evenit ut coetus noster nunc benignae considerationi Patrum "Consilii" quasdam variationes ad schema Missae normativae proponere possit.

3. Agitur praecipue:

a) De formulis et orationibus secreto a sacerdote dicendis, quae ad structuram Missae non pertinent,

b) De aliqua rubrica simplicius rodigenda et de dimissione in fine Missae.

4. Antequam vero ad rem tractandam transire liceat, quaeritur:

QUAESITUM I

Placetne Patribus in disputationem partialem schematis iam suffragati Missae normativae, aliquomodo perficiendi intrare ?

5. De orationibus et formulis dicendis quae non ad structuram Missae pertinent.

In schemate Missae normativae servantur quaedam orationes

*Quare
contra dualismum*

et formulae a sacerdote secreto dicendae, actiones quasdam concomitantes vel praeparantes, quae quidem attentionem sacerdotis agentis eiusque pietatem fovere valent, tamen ad structuram Missae non pertinent. Huiusmodi formulae et orationes in corpore originali textuum Missae non inveniuntur sed tardius, nempe decursu saeculi XVI, quando structura Missae ut actio communitaria pene in oblivionem devenerat, ad pietatem privatam sacerdotis fovendam, introductae sunt. Iam de mandato Concilii Tridentini multae formulae huiusmodi e Missali expurgebantur. Etiam vos, venerabiles Patres, in suffragatione de Missa normativa quasdam earum iure meritoque, iuxta principium Constitutionis liturgicae (art. 21), suppressere censuistis. Attamen quasdam coetu nostro proponente tenuistis, immo novas formulationes pro depositione panis et calicis in offertorio admisistis.

6. Interim vero tempus et formatio atque evolutio liturgica processerunt. Omnes sacerdotes qui leges structurales liturgicae nunc bene intelligunt, aegre ferunt se esse coactos in celebratione communi, dum populus congregatus textus liturgicos cantat, verba vel formulae quasdam secreto et privatim dicere. Proinde nobis melius visum est has formulas et orationes pro celebratione non communitaria, id est pro Missa "privata", obligatorias retinere, pro Missa vero normativa, quae ex definitione una cum populo celebratur, ad libitum ponere.

7. Agitur ergo de sequentibus variationibus in fasciculo (rosco) de Ordine Missae introducendis:

*pro
opportunitate*

- a) Pag. 7, n. 13: loco "sacerdos... dicit: Munda cor..."
dicatur: "dicere potest"
- b) Pag. 11, n. 24: loco: "sacerdos... patenam... tenens
dicit: Sicut hic panis..."
dicatur: "dicere potest"
- c) Pag. 12, n. 26: Loco: "sacerdos... calicem tenens..."
dicit: Sapientia aedificavit..."
dicatur: "dicere potest"
- d) Pag. 13, n. 27: Loco: "Inclinatus subiungit: In spiritu
dicatur: "suiungere potest"
- e) Pag. 54, n. 80: Loco: "sacerdos secreto: D.J.C.Fili..."
dicatur: "Sacerdos potest dicere secreto".

QUAESITUM II:

Placentne Patribus variationes propositae ?

Placet	Pro opportunitate	22
Non placet		8
P. iuxta modum	Obligatoria	
Alba	Alba	2
Albin.		32

8. Coetus quoque noster, sicuti supra dictum est, quosdam codices expendit qui ad eum venerunt. Et proponit nunc simplificationem rubricae n.15, in pag. 8. quae nunc ita sonare t: "Finito Evangelio librum osculatur vel alio signo honorat prout pro regionibus statutum est."

QUAESITUM III:

Placetne Patribus haec simplificatio ?

*Placet
fere
omnibus*

9. Formulae benedictionis et dimissionis.

Quod demum consecutionem formularum benedictionis et dimissionis spectat (cfr. pag. 57, nn92-93), coetus censuit votis permultorum et tendentiae hodie quasi communis tandem consentiendum esse, nempe ut dimissio per Ite Missa est sit ultimum elementum Missae post benedictionem finalem habendam. Rationes affirmativae sunt:

a) Antequam haec benedictio finalis ut elementum structurale in Missa introducta erat, dimissio per Ite Missa est, per diaconum facienda, revera elementum ultimum erat.

b) Facilius est benedictionem cum formula Benedicat vos aliis formulis, quae forte longiores sunt, (sicut provisum & iam suffragatum est) substituere, si dimissio per diaconum non insereretur inter salutationem finalem (Dominus vobiscum) et benedictionem a sacerdote peragendas.

QUAESITUM IV:

Placetne Patribus ut dimissio populi per diaconum Ite Missa est, locum habeat post benedictionem populi per sacerdotem ?

Placet fere omnibus

Peyl

CONSILIUM AD MISSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

Schemata 218
De Missali 34bis
- Addendum V

Coetus X: De Ordine Missae

[Marini]

April 1967

DE ACTU PAENITENTIALI

Necessarium non esse videtur totum statum quaestionis iterum explanare. Hoc iam pluries annis anteactis in diversis relationibus coram vobis factum est. Deinde mense octobri anni 1965 plura experimenta facta sunt, quorum textus invenietis in schematibus respectivis, ex. gr. in schemate De Ordine Missae 170, p.4, nota 10. Post magnam disceptationem a vobismetipsis factam, in illo mense octobri a vobis suffragatum est utrum placeat ut in initio Missae adesset aliquis actus paenitentialis. Votantes erant 36. Dixerunt placet: 28; non placet: 8.

Res cum toto schemate de Missa normativa ad Summum Pontificem delata est, qui in audientia Emmi. Praesidi "Consilii concessa, mentem suam aperuit, his verbis: "Si usi debitamente adattato il Kyrie, quando la Messa non porta il Gloria per evitare tre canti di seguito (Introitale, Kyrie, Gloria), si supplisca con altra formule penitenziale al Kyrie che viene omesso; la formula sia tale da parteciparsi dall'assemblea (non come le attuali preci "ad pedes altaris" che sono soltanto del Celebrante e dei Ministri).

Aliis verbis Summus Pontifex tunc approbavit dispositionem schematis Missae normativae a vobis suffragatam, et quidem actum paenitentialem ut adsit, et regulam pro usu Kyrie et Gloria, statutam.

Munus coetus nostri nunc erat formulam concretam actus paenitentialis praeparare. Hoc factum est et scriptis, et disputationibus, et experimentis, praesertim inde a Sessione plenaria coetus nostri habita in Orselina, mense Ianuario huius anni.

Sed vere difficilimum apparuit formulam sub omni respectu satisfacientem invenire: si enim est nimis brevis periculum est ut sit solummodo formalisticum quid, quod cor hominum non moveret, si autem longior, tunc structuram initio Missae et acqui-

librium partium perturbat.

Cum vero vis decisionis in favorem actus paenitentialis non in eiusdem loco, nempe in initio Missae, sed in ipso facto ut adesset hic actus consistere videbatur, proinde certavimus locum opportuniorem pro tali actu invenire. Et quidem inter liturgiam verbi et liturgiam eucharisticam, sicuti fit in multis aliis liturgiis. Multum in hac re insudavimus, sed in finem nobis visum est actum paenitentialem, etsi forte cum ritu reconciliationis (Pax) componeretur, quando inter liturgiam verbi et liturgiam eucharisticam insereretur appareret tanquam cuneus unitatem duarum partium Missae diffindens. Non expedire videbatur in hoc conamine prosequi.

De statu tentaminum nostrorum ante duas hebdomadas, coetum Relatorum certiores fecimus; qui coetus hac occasione usus est ut disputationem de principio ipsius actus paenitentialis, denuo arriperet.

Multa argumenta prolata sunt adversus actum paenitentialem in Missa inserendum. Ad statum sententiarum peritorum patefaciendum, deinde duae suffragationes habitae sunt:

1. An placeat ut in Missa adsit formalis actus paenitentialis?

Exitus suffragationis:

Non placet: 22
Placet: 8
Abstinerunt: 2

2. Si vero admitti debet, quaeritur quo loco inserendus esse videatur?

Exitus suffragationis:

In initio Missae: 13
In offertorio: 10
Ante Communionem: 1
Ut Conf. Episc. provideant: 2
Abstinerunt: 3.

Rebus sic stantibus, coetus per partiales conventus consuluit quid Patribus proponendum esset. Et ad sententiam pervenit coetui nihil aliud licere quam mandatum "Consilii" per suffragationem expressum et a Summo Pontifice confirmatum exsequi; id est formulam concretam proponere. Cum vero ante suffragationem de actu paenitentiali, mense octobri 1965 factam, in relatione

nempe, pro hoc tempore experimentum

respectiva clare dictum est: "Haec actio pro temporis liturgici coetus vel populi aut solemnitatis diversitate variis modis peragi potest", non unica tantum formula obligatorie fixa et invariabilis proponenda esse videbatur.

En propositio nostra:

1. Post salutationem sacerdotis in initio Missae, ipse sacerdos una cum populo, recitat vel cantat:

MISERERE NOSTRI, DOMINE, QUIA PECCAVIMUS TIBI

2. Et fit momentum silentii.

3. Postea sacerdos dicit vel cantat:

OSTENDE NOBIS, DOMINE, MISERICORDIAM TUAM

Populus respondit:

ET SALUTARE TUUM DA NOBIS.

4. Tunc sacerdos dat absolutionem, dicens:

INDULGENTIAM, ABSOLUTIONEM ET REMISSIONEM
OMNIUM PECCATORUM NOSTRORUM TRIBUAT NOBIS
OMNIPOTENS ET MISERICORS DOMINUS.

statu [5. In Quadragesima et in diebus paenitentialibus, potest, ad libitum, uti formula pro Missa "privata" provis^a, nempe cum recitatione "Confiteor".]

6. E contra durante Tempore Paschali et in maioribus solemnitatibus, pro opportunitate, hic actus omitti posset.]

7. Conferentiis Episcopalibus liceat aliam formulam pro respectivis territoriis providere.

QUAESITUM:

/// Placetne Patribus modus actus paenitentialis
supra descriptus ?